DE
DEMOSTHENIS TIMOCRATEA.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA
MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

DIE XVI MENSIS IULII A. MDCCCLXXXVIII

IN PUBLICO DEFENDET

ANTONIUS KREUSER

COLONIENSIS.

MONASTERII GUESTFALORUM.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVIII.

IOANNI MATTHIAE STAHLIO

S.

De Demosthenis in Timocratem oratione viri docti multum disputaverunt et alii aliter iudicaverunt. Quamquam igitur negari non potest paulatim a viris doctis multa ad orationis condicionem illustrandam allata esse, tamen nemo adhuc rem ita exposuit ut non putandus sit aut saepius aut omnino erravisse aut quaestionem minus accurate instituisse. Itaque in animum induxi sententiis virorum doctorum examinatis proferre quae mihi de Timocrateae compositione viderentur. Cum autem quaestionem meam paene ad finem perduxissem, in manus mihi venit Demosthenis actionum publicarum editionis a Weilio comparatae pars altera [1]. Qui in praefatione ibi orationi Timocrateae praemissa nonnulla protulit quae ego quoque inveneram et me primum proditurum esse speraveram. Nihilominus autem operam meam nequaqaum supervacaneam putavi, cum Weilius neque sententiarum antea a viris doctis propositarum satis rationem habuisset neque eius opinio omni ex parte mihi probaretur.

Priusquam vero ad quaestionem ipsam aggredior, aptum mihi videtur exponere qua de re ab oratore agatur et quomodo oratio disposita sit.

Androtio, Melanopus, Glaucetes, legati ab Atheniensibus ad Mausolum Cariae dynastam missi, nave Naucratica potiti erant. Qua de re Athenis questi cum Naucratitae peterent ut sibi sua redderentur, repulsi sunt. [2] Quamquam autem decima pars omnis praedae eo modo factae Minervae, quinquagesima reliquis diis tribuenda, reliquum in publicum redigendum erat, [3] legati totam praedam, quae novem talentis et triginta minis aestimata est, retinuerunt. Sed non multo post lege Aristophontis cuiusdam Athenienses

[1] Weil, Les plaidoyers politiques de Démosthène, II série. Paris 1886.

[2] Cf. Tim. § 12 sqq.

[3] Boeckh, Staatshaushalt I p. 445 et 763.

iussi sunt nomina eorum quos contra leges pecuniam publicam possidere scirent ad magistratum qui ζητηταί nominabantur deferre.[1] Itaque Euctemo, qui vir antea ab Androtione in summum periculum vocatus maximo odio in eum inflammatus erat, ne cupiditate ulciscendi commotus videretur, Archebium et Lysithidem, qui trierarchorum munere fungentes navem qua legati illi vecti erant exornaverant, arguit, quod pecuniam illam Naucraticam publico aerario non tradidissent. Res postquam βουλή de ea προβούλευμα fecit, ad contionem populi venit, ubi Euctemo quomodo praeda facta esset narravit et leges secundum quas rei publicae fieret assentiente populo recitavit. Tum legati non trierarchos pretium praedae habere, sed a se petendum esse professi sunt. Nihilominus Euctemo hanc rogationem tulit[2]: ὑμᾶς (i. e. τὸν δῆμον) μὲν εἰσπράττειν τοὺς τριηράρχους, ἐκείνοις δ᾽ εἶναι περὶ αὐτῶν (τῶν χρημάτων) εἰς τοὺς ἔχοντας ἀναφοράν. ἐὰν δ᾽ ἀμφισβητῆταί τι, ποιεῖν διαδικασίαν τὸν δ᾽ ἡττηθέντα τοῦτον ὀφείλειν τῇ πόλει. Quam populo probatam esse e verbis quae sequuntur γράφονται τὸ ψήφισμα conici licet Nam ψήφισμα consultum vel rogationem probatam significat. Sane ψήφισμα γράφειν idem valet quod rogationem ferre, sed rogationis notio vocabulo ψήφισμα ipsi non inest, sed eo quod cum verbo γράφειν coniunctum est efficitur. Pretium autem praedae, ut antea dictum est, novem talentis et triginta minis aestimatum erat. Accedit quod iis qui pecuniam sacram vel publicam contra leges retinuerant multa solvenda erat, quae decemplex pretium sacrae, duplex publicae pecuniae efficiebat[3]. Praeterea debitores rei publicae in vincula conicere licebat, dum solvissent[4]. Legati igitur, ut periculum imminens effugerent, Euctemonem παρανόμων in ius vocaverunt. Qui cum absolutus esset, Timocratem adduxerunt ut legem ferret qua constitutum est ne debitores publici qui vades dedissent in carcerem conicerentur. Dolo autem effecit ut lex, quae civibus usui esse videretur, nomothetis probaretur et ita legatos ad tempus periculo

---

[1] Tim. § 11.

[2] Tim. § 13.

[3] Schoemann, Gr. Altertümer ed. I p. 478.

[4] l. c. p. 517; Meier-Schoemann, der attische Prozefs neu bearbeitet von Lipsius II p. 961.

liberavit. Sed Euctemo, ne legati beneficiorum huius legis participes fierent, simul cum Diodoro, qui et ipse inimicissimus erat Androtioni, Timocratem *παρανόμων* postulavit, et Demosthenes, qui antea Diodoro orationem in Androtionem habitam conscripserat, in Timocratem quoque orationem componendam suscepit [1] Ol. 106, 4 (anno 353—2). Quae actio cum in Timocratem instituta et legatis denuo timendum esset ne in carcerem darentur, pretium praedae solverunt. Schaefer quidem et Blassius nitentes iis quae leguntur § 187 *ἀκούω δ᾽ αὐτὸν λέγειν ὡς ἐκτέτισται τὰ χρήματ᾽ Ἀνδροτίωνι καὶ Γλαυκέτῃ καὶ Μελανώπῳ καὶ ὅτι δεινότατ᾽ ἂν πάθοι πάντων ἀνθρώπων, εἰ πεποιηκότων ἐκείνων τὰ δίκαια, ὑπὲρ ὧν αὐτὸς αἰτίαν ἔχει θεῖναι τὸν νόμον, μηδὲν ἧττον αὐτὸς ἁλίσκοιτο* eos officio suo omnino satisfecisse existimant. Sed *τὰ χρήματα* solum pretium praedae significare apparet ex § 189 *καίτοι καὶ τοῦτ᾽ οὐκ ἀπορήσαιμ᾽ ἂν δεῖξαι πάντα μᾶλλον ἢ κατά τοὺς νόμους πεποιημένους τὴν ἔκτισιν ἐκείνους*, praesertim cum § 15 *κατὰ τὴν ἀγορὰν λογοποιοὺς καθίεσαν ὡς ἁπλᾶ μὲν ἕτοιμοι τὰ χρήματ᾽ ἐκτίνειν, διπλᾶ δ᾽ οὐ δυνήσονται* se paratos esse ipsum praedae pretium solvere legati affirment. Solutione igitur facta res paulum mutata erat, sed nulla erat causa cur accusatores lite desisterent. Nam praeterquam quod legati multam, de qua iam locuti sumus, nondum pependerant, accusatoribus actionem institutam deserentibus poena et mille drachmarum et *ἀτιμίας* eiusmodi constituta erat ut iis non liceret in posterum eodem quo usi erant actionis genere quemquam persequi [3]. Ceterum mirum non est quod orator § 189 non accuratius exponit legatos non secundum leges solvisse, sed ita pergit *ἀλλὰ μὴ περὶ τούτων ὑμῶν οἰσόντων τὴν ψῆφον, τί δεῖ ταῦτα λέγοντ᾽ ἐνοχλεῖν με νυνί;* Diodoro enim et Euctemoni non id agendum erat ut demonstrarent legatos officio suo nondum satisfecisse, sed legem Timocratis improbandam esse. Qua in re diiudicanda non referebat accuratius scire quantum legati solvissent. Cf § 189

[1] Dionys. ad. Amm. I 4 *ἐπὶ δὲ Θουδήμου τοῦ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος τόν τε κατὰ Τιμοκράτους λόγον ἔγραψε Διοδώρῳ κτλ.*

[2] Schaefer, Demosthenes und seine Zeit. III B p. 64, Blafs, Attische Beredsamkeit III 1 p. 245.

[3] Meier-Schoemann II p. 951.

εἰ δὲ τοῦ πᾶσι συμφέροντος εἵνεκα ταῦτα νομοθετῆσαι φήσεις, μὴ λέγε τὴν ἔκτισιν τὴν τούτων· οὐδὲν γὰρ κοινωνεῖ τῷ νόμῳ τῷδε. ἀλλ' ὡς ἐπιτήδειός ἐστιν καὶ καλῶς ἔχων ὁ νόμος τοῦτο δίδασκε.

Iam orationis divisionem proponamus, quae excepta parte illa quae legitur §§ 110—186 satis perspicua et consequens est. Est autem haec:

I Exordium: gravitate causae praedicata orator exponit quare ipse commotus sit ut Timocratis legem impugnaret §§ 1—9.

II Narratio: explicatur quomodo factum sit ut Timocrates legem suam ferret §§ 10—16.

III Divisio: breviter propositis iis quae ad iustam legem necessaria sunt, argumentorum ordo constituitur quibus Timocratis legem iniustam esse orator demonstraturus est.

IV Argumentatio:

1. Timocrates neglexit leges quibus quomodo leges ferendae sint praescribitur §§ 20—31.

2. Timocratis lex aliis legibus quae valent contraria est.

a affertur lex quae non permittit ut leges legibus contrariae dentur §§ 32—38.

b enumerantur leges quibus lex Timocratis contraria est:

α prima §§ 39—44,

β secunda §§ 45—49,

γ tertia §§ 50—53,

δ quarta §§ 54—55,

ε quinta §§ 56—58,

ζ sexta §§ 59—60,

η septima §§ 61—65.

c Timocrates neque inscitiam neque quidquam aliud excusare potest, ut veniam adipiscatur §§ 66—67.

3. Timocratis lex rei publicae non utilis, sed noxia est.

a qualem legem utilem esse oporteat exponitur §§ 68—69.

b Timocratis legem eiusmodi non esse orator demonstrat verba legis deinceps recensens:

α tolluntur ea iudicia antea facta §§ 70—76,

β lex vituperanda est, quod permittit ut vades dentur, postquam iudices poenam carceris irrogaverint, neque statuit ne cui haec poena a iudicibus irrogetur qui vades dederit §§ 77—78,

γ lex consulto parum perspicue concepta est, ut hominibus scelestis succurrat §§ 79—90.

c lex rei publicae maxime perniciosa est, quod

α res publica ad bellandum minus idonea redditur §§ 91—95,

β prohibetur quominus recte administretur §§ 96—101,

γ omnes homines scelesti poena carceris a Solone statuta liberantur §§ 102—107.

4. gravissima totius argumentationis capita breviter comprehenduntur §§ 108—109.

V Pars varia et parum inter se conexa argumenta continens.

Consulto tam mala lex a Timocrate data est § 110.

Timocrates, quem non miseret virorum misericordia dignorum, impudentiae accusandus est, quod iis qui rei publicae et diis pecuniam surripuerunt impunitatem parare studuit §§ 111—112.

Narratur quomodo Solo eos puniat qui parvam rem furati sint et quomodo Timocrates in puniendis furibus cum eo discrepet §§ 113 — 116. Timocrates potestatem iudicum frangit, ut hominibus scelestis auxilio veniat §§ 117—119.

In quibus ii quoque sunt pro quibus Timocrates legem rogavit, Androtio collegaeque, cum merito et fures et direptores templorum dicantur, quae superbia iis a dea ipsa iniecta videtur esse, ut gravi poena afficerentur §§ 120—121.

Cum Timocrates publicanos secundum pristinas leges puniat, fures direptoresque templorum poenis liberet, sequitur eum pecunia corruptum pro his legem tulisse § 122.

Populus in legibus servandis et ferendis oratoribus magnitudine animi longe praestat, qui scelestorum impunitatem sectantur et divites facti multitudinem contemnunt §§ 123—124.

Demonstratur non turpe esse legatos illos in carcerem conici §§ 125—138.

Quomodo Locri et Athenienses inter se differant legibus ferendis §§ 139—143.

Timocrati non licet, ut se defendat, legem illam afferre *οὐδὲ δήσω κτλ.* §§ 144—151.

Timendum est ne res publica libera evertatur, postquam iudicia sublata sunt §§ 152—154.

Timocrates cum sollertia versutiaque civibus nocuit leges lege tollens, eo confisus quod Androtio se defensurus sit §§ 155—159.

Quomodo Timocrates et Androtio se gesserint

a in exigendis vectigalibus §§ 160—175,

b in conflandis vasis et coronis §§ 176—187.

VI. Refutatio:

a Timocrati non est defendendum legatos solvisse §§ 187—189

b aut se legem mitem atque mediocrem tulisse §§ 190—193.

c Cum nihil allaturus sit quo legem iustam esse ostendatur, nulla alia causa nisi cupiditate pecuniae ad eam ferendam adductus est §§ 194—199;

d nam avaritia eius ex mala quoque atque indigna patris et sororis tractatione cognoscitur §§ 200—203.

VII. Peroratio: Timocrates summa poena dignus est, quod

a gravius peccat quam fures et latrones §§ 204—209,

b Athenienses gloria optimarum legum privat §§ 210—211.

c Iudicium sequendum est Solonis legem rei publicae noxiam impugnantis §§ 212—214,

d praesertim cum Timocrates eas leges irritas reddiderit in quibus imprimis salus rei publicae posita sit §§ 215—217.

e brevis perorationis conclusio § 218.

Enarrata orationis dispositione ad eum nos convertamus qui primus in Timocratea recognoscenda sagaciter operam collocavit, Benselerum.

Hic enim offendit in parte quae est inde a §§ 110—187 eamque a Demosthene abiudicat et a falsario quodam ex orationibus a Diodoro antea in Androtionem et ab Euctemone in Timocratem habitis depromptam et huc insertam esse contendit[1].

Atque primum quidem vituperat quod in capite quod est inde a §§ 110—159 nonnullae res iterum proferantur ab oratore de quibus antea dixerit.[2] Sed quamquam negari non potest earundem sententiarum repetitiones offensioni esse, tamen ii loci vituperandi

[1] De hiatu in oratoribus Atticis p. 122 sqq. De hiatu in Demosthenis orationibus (Progr. Freiberg 1848) p. 21 sqq.

[2] Demosthenes' Reden gegen Androtion und Timokrates Griechisch und Deutsch p. 80.

non sunt ubi verborum quaedam similitudo diversa sententiarum cohaerentia excusatur. Itaque quales sint singuli loci hac de causa a Benselero in suspicionem vocati accuratius quaerendum est. Putat igitur § 110 idem ab oratore dici quod § 67 et § 70. Sed etiamsi his locis similitudo quaedam verborum est, tamen hoc offensioni esse non debet, quoniam unumquemque eorum alio spectare ex orationis dispositione supra prolata elucet. Deinde viro docto displicet quod orator, postquam inde a §§ 102—107 de Solonis legibus locutus est, earundem mentionem facit inde a § 113—115. Sane legimus § 114 *καὶ τούτων ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε τῶν νόμων.* Sed cohaerentia sententiarum accuratius inspecta facile intellegemus utroque loco Solonis leges diversa ratione eaque ad rerum conexum aptissima commemorari. Inde a § 102 enim exponitur legem Timocratis improbandam esse, quod poenam carceris a Solone nonnullis sceleribus (*κλοπῇ, κακώσει τῶν γονέων, ἀστρατείᾳ*) constitutam tollat neque coerceat improbitatem, sed augeat; § 112 vero orator explicat Timocratem summa poena dignum esse, quia viris qui propter imperitiam suam leges violent nulla lege subvenerit, legatos illos poena liberaverit, et tum inde a § 113, ut fraudem Timocratis magis illustret, narrat quanta acerbitate Solo in singula furtorum genera animadverterit et quomodo Timocrates sublatis vinculis omnium scelestorum poenas imminuerit. Priore igitur loco sermo est de variis sceleribus a Solone praeter reliquam animadversionem carcere punitis, § 113 de solo furto et de omni eius poena ab eodem Solone constituta.

Neque offensioni mihi est § 119 propter similem sententiam § 102 praegressam. Quamquam enim et § 119 et § 102 orator Timocrati vitio vertit quod legem pro hominibus scelestis tulerit, tamen non est cur res priore loco indicata postea in diversa sententiarum cohaerentia non iterum commemoretur, praesertim cum utroque loco paucis comprehensa sit. Neque aliter cogito de §§ 116 et 73. Hoc enim loco orator explanavit Timocratis legem ad res non solum iudicandas sed etiam iudicatas pertinere. Sed cur non liceat oratori, postquam demonstravit quantopere Solo et Timocrates inter se differrent, § 116 addere hunc eo maiore poena dignum esse quod legem tam perniciosam ad praeteritum quoque tempus referri velit? Et § 73 paulo aliter de iudiciorum praeteri-

torum abolitione sermo fuit. Praeterea apparet ex § 194 [1] quantum momenti Demosthenes ipse huic rei tribuerit, ita ut hoc quoque ei in causa fuisse possit cur non uno loco eam commemoraret.

Denique verba § 122, quae Benseler vituperat respiciens quae § 60 leguntur, iustam offensionem non praebent. Timocrates enim legem non pro omnibus tulit, sed publicanos exclusit. Quam rem § 60 contendit orator eo minus posse excusari quod alii homines rei publicae multo magis quam illi noceant (*οἱ προδιδόντες τι τῶν κοινῶν, οἱ τοὺς γονέας κακοῦντες κτλ*). § 122 autem, ut ex orationis dispositione supra prolata cognoscitur, nulla alia re quam pecunia Timocratem adductum esse demonstratur ut legatos *ὑφαιρουμένους τὰ τῆς πόλεως καὶ ἱεροσυλοῦντας τὰ τῆς θεοῦ* vinculis liberaret, cum publicanos hac poena affici vellet. Itaque eiusdem huius rei bis, sed in diversa ratiocinatione mentio inicitur.

Quae cum ita sint, apparet ea quae Benseler de repetitionibus protulit ad id quod efficere voluit non satis valere.

Praeterea ad sententiam suam confirmandam affert in tota orationis parte quae continetur §§ 110—154 concursum vocalium ab oratore non esse vitatum. Profecto facere non possumus quin concedamus valde hanc partem a reliqua oratione hoc nomine discrepare. [2] At quaeritur num idcirco tota sit abiudicanda a Demosthene. Benseler enim ipse scribit [3] Demosthenem in oratione Midiana, quae non satis perfecta sit, hiatus item praeter morem suum admisisse. Itaque inde quod vocalium concursus in hac Timocrateae parte non est vitatus conicere non magis licet Demosthenem eius auctorem non esse quam in Midiana, nisi aut alia ibi inveniantur quae ab oratoris consuetudine aliena sint aut testimoniis veterum scriptorum alium quendam haec composuisse confirmetur. Immo hiatus impedimento non est quin arbitremur con-

---

[1] *Ἀλλὰ τὰ μὲν πολλα παρήσω, κεφάλαιον δ' ὑμῖν ὃ μνημονεύσετ' ἐρῶ. σκοπεῖτ' ἐν ἅπασι τοῖς λόγοις ὁπόσους ἂν λέγῃ εἴ τι δυνήσεται τοιοῦτον εἰπεῖν δι' οὗ διδάξει ὡς ἔστι δίκαιον τὸν τιθέντα νόμον ταὐτὰ προστάξαι περὶ τῶν παρεληλυθότων καὶ τέλος ἐσχηκότων καὶ περὶ τῶν μελλόντων γενήσεσθαι. πάντων γὰρ .... τοῦτο δεινότατον καὶ μάλιστα παράνομον γέγραπται.*

[2] Cf. Benseler, de hiatu in Demosthenis orationibus. p. 21 — de hiatu in oratoribus Atticis. p. 97.

[3] De hiatu in orat. Attic. p. 113.

scriptam quidem esse hanc partem a Demosthene, sed non perpolitam.

Attamen Benseler alia quoque in iis quae §§ 110—159 leguntur inesse existimavit quae ad Demosthenis scribendi rationem non convenirent. Locutiones enim nonnullas enumerat[1] quas oratorem aut omnino vitare aut alia vi usurpare contendit. Qua re etiam magis confirmari putat illa omnia non Demosthenis esse. Sed in hac re vir doctus ratione et via mihi uti videtur quae probanda non sit. Praeterquam enim quod de ea decerni nequit, quoniam adhuc lexico Demosthenico caremus, alii quoque scriptores voces nonnullas semel adhibuerunt, neque quisquam contendere audet totam partem in qua quaeque occurrat adulterinam esse. Et si alios quoque scriptores Atticos eiusdem aut antiquioris aetatis easdem locutiones quas Benseler a Demosthene alienas iudicat cum eadem fere significatione adhibuisse videmus, non est cur Demostheni iis uti non licuisse credamus.

Iam igitur ad singula accedamus.

Atque primum quidem haeret vir doctus in vocabulo *μεγαλοφροσύνη* § 123, dicens aliis locis oratorem adhibere vocem *μεγαλοψυχία*. Quantum autem ex Henrici Stephani thesauro linguae Graecae cognoscere potui, bis omnino vox *μεγαλοψυχία* invenitur in Demosthenis operibus XVIII 68 *ὡς τῷ μὲν ἐν Πέλλῃ τραφέντι ... τοσαύτην μεγαλοψυχίαν προσῆκεν* ..., ubi idem valet quod superbia, et XXIII 205 *οὐ γὰρ ἀπεδίδοντο τὴν αὑτῶν ἐλευθερίαν καὶ μεγαλοψυχίαν τῶν ἔργων*, ubi eandem animi magnitudinis significationem habet quam § 123 *μεγαλοφροσύνη*. Itaque cum non saepius, sed semel *μεγαλοψυχία* idem significet quod *μεγαλοφροσύνη* § 123, non est causa cur hanc vocem a Demosthene alienam arbitremur, praesertim cum in Plat. conviv. 194 b *ἰδὼν τὴν σὴν ἀνδρείαν καὶ μεγαλοφροσύνην* cum eadem vi inveniatur qua hoc loco.

Neque maioris momenti est quod vox *εὐνομεῖσθαι* apud Demosthenem non legitur nisi Tim. § 139, cum auctoritate aliorum scriptorum satis defendatur. Cf. Plat. Reipubl. 607 c *ὡς χρὴ αὐτὴν*

---

[1] Demosth. Reden gegen And. u. Timok. p. 85.

εἶναι ἐν πόλει εὐνομουμένῃ, ibid. 380 b *ἐν τῇ αὐτοῦ πόλει εἰ μέλλει εὐνομήσεσθαι*, Aesch. I 5 *ὅταν εὐνομῆσθε.*

Praeterea Benselero offensioni est vox *ἐσκεμμένως* § 157, quae omnino adhibita non videtur nisi a scholiasta Thucydidis III 112, 4. Neque tamen idcirco magna orationis pars a Demosthene abiudicanda est. Nam, ut antea dixi, apud alios quoque scriptores *ἅπαξ λεγόμενα* extant,[1] attamen nemo locos ubi inveniuntur pro subditiciis habet, nedum ideo longiores partes damnare audeat. Nec veri dissimile est oratorem scripsisse *ἐσκεμμένοι* et errore librarii alicuius ex participio adverbium *ἐσκεμμένως* ortum esse.

Deinde verbum *ἐπικουρεῖν* § 112 *νόμον οὐδένα τοῖς τοιούτοις ἐπικουροῦντα τίθησι* Benselero displicet, quod *ἐπικουρεῖν* nisi personae non dicantur. Sed satis est commemorare Xenoph. Cyrop. VI 2, 30 *ἐσθὴς ἀφθονωτέρα πολλὰ καὶ ὑγιαίνοντι καὶ κάμνοντι ἐπικουρεῖ.*

Praeterea offendit in voce *μισθοφορεῖν* § 123, cum aliis apud Demosthenem locis pertineat aut ad milites aut ad eos qui mercedem contra leges ab aliquo capiant, ut ei prosint. Quamquam concedo vocabulum saepissime de militia dici, ideo non sequitur ad alia munera id referri non posse. Immo Benseler ipse dicit apud Lys. XXVII II *ὥστε οὐκέτι ὧν οὗτοι κλέπτουσιν ὀργίζεσθε, ἀλλ' ὧν αὐτοὶ λαμβάνετε χάριν ἴστε, ὥσπερ ὑμεῖς τὰ τούτων μισθοφοροῦντες ἀλλ' οὐ τούτων τὰ ὑμετέρα κλεπτόντων* verbum similem vim habere atque in Timocratea. Neque minus e Plat. Gorg. 515 e *Περικλέα πεποιηκέναι Ἀθηναίους ἀργοὺς καὶ δειλοὺς καὶ λάλους καὶ φιλαργύρους εἰς μισθοφορίαν πρῶτον καταστήσαντα* et Xenoph. de Rep. Athen. 1,3 *ὁπόσαι εἰσὶν ἀρχαὶ μισθοφορίας ἕνεκα* perspicitur *μισθοφορεῖν* de omnibus muneribus ex quibus mercedem caperent dictum esse. Cf. etiam Aristot. Pol. II 12 *μισθοφόρα κατέστησε τὰ δικαστήρια.*

---

[1] Exempli gratia nonnulla vocabula commemoro quae apud Sophoclem semel leguntur: Ai. 1258 *ἐξελευθεροστομεῖν*, Phil. 530 *εἰσοίκησις*, Oed. rex 464 *θεσπιεπεία*, Col. 1705 *εὐσκίαστος*, Phil. 769 *εὐσταλής*, Elect. 587 *κακοστομεῖν*, Oed. Col. 339 *κατεικάζω*, Ai. 55 *πολύκερος*, Ai. 19 *σακεσφόρος*. Praeterea ad hanc rem illustrandam plurimum attulit Cüppers, de octavo Thucydidis libro non perpolito (dissert Monast. 1884). Qui p. 63 sqq. 216 vocabula in solo primo libro a Thucydide adhibita affert, e quibus 52 praeter eum nemo scriptorum Atticorum habet.

Porro alienum putat a Demosthene illud μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι § 110. Contendit enim apud eum hoc non valere 'consulto'. Sane exemplum quo hic eius locutionis usus comprobetur afferri non potest. Sed verba μετὰ τοῦ βουλεύσασθαι adeo non necessaria sunt ut sententia non solum nihil detrimenti faciat, sed ex maiore brevitate maiorem vim accipiat, si cum Weilio ea omittamus. Verisimile enim est interpretem aliquem ea ad explicandum participium ἐπιβουλεύσας addidisse.

Neque satis perspicio qua de causa Benseler in § 111 τὸν ἔλεον ποιεῖσθαι offendat. Nam similiter Thucydides I 143, 5 τήν τε ὀλόφυρσιν μὴ οἰκιῶν καὶ γῆς ποιεῖσθαι scribit.

Ab eodem rerum scriptore verbum ἀπάγειν cum dativo coniungitur, qua re satis excusari puto § 113 ἀπαγαγεῖν τοῖς ἕνδεκα, ubi Benseler praepositionem πρός vel ὡς desiderat. Legimus enim apud illum VIII 28, 2 ἀπαγαγεῖν, εἰ βούλεται, βασιλεῖ.

Neque illud νὴ τὸν Δία τὸν Ὀλύμπιον § 121, quod alibi apud Demosthenem non invenitur, mihi suspicionem movet. Rehdantzius enim, qui accuratius de iurandi formulis quibus Demosthenes utitur disputat[1], satis multas affert quae semel apud eum leguntur, velut IX 65 νὴ τὸν Δία καὶ τὸν Ἀπόλλω, XVIII 294 νὴ τὸν Ἡρακλέα καὶ πάντας τοὺς θεούς, XIX 262 νὴ τὴν Δήμητρα.

Denique vir doctus iniuria mihi haerere videtur in § 143, ubi Demosthenes oratores θηρία vocat. Quae vox contumeliosa quamquam alio loco apud eum non legitur, tamen satis constat Demosthenem adversarios vehementissimis opprobriis affecisse, cuius rei imprimis oratio de corona multa exempla praebet, velut § 127 σπερμόλογος, περίτριμμα ἀγορᾶς, ὄλεθρος γραμματεύς, κάθαρμα § 139 βάσκανος ἰαμβειόγραφος, § 209 γραμματοκύφων, § 242 πίθηκος. Quare mihi persuadere non possum hoc convicium oratori durius visum esse quam quo uti sibi liceret. Cf. praeterea Aristoph. Plut. 439. Plat. Phaedr. 240 b.

Postquam ea examinavimus quae Benselero in parte quae est inde a §§ 110—159 displicent, iam videamus quae contra ea quae §§ 160—187 leguntur protulerit.

---

[1] Rehdantz, Demosthenes' neun phil. Reden, Index II p. 281.

Hiatibus quidem haec pars libera est, sed eo dubitationem aliquam excitat quod orator ea quae §§ 160—168, 172—174, 176—186 ab Androtione et Timocrate commissa esse narrat, iam in oratione contra Androtionem habita XXII 47—56, 65—78 iisdem fere verbis Androtioni soli crimini vertit. Benseler igitur talem repetitionem neque Demosthene dignam esse neque ad diligentiam veterum oratorum convenire contendit. Sed in ea re nimius est. Nam IX 5 *τό χείριστον .... βελτίω* repetitum est ex IV 2, neque quisquam orationem IX vel *κατὰ Φιλίππου* III a Demosthene compositam esse negaverit. Deinde X 11—27, 55—70 ex VIII 38—67, XIII 21—24 ex XXIII 196—200, XIII 25—31 ex III 22—32 sumpta sunt. Sane orationem decimam tertiam, quae inscribitur *περὶ συντάξεως*, omnes viri docti praeter Boehnekeum a Demosthene alienam putant.[1] Nec non oratio decima vel *κατὰ Φιλίππου* IV iis suspicionem movit. Praeter alios enim Schaefer[2] et Blassius[3] eam falsario tribuunt, cum praecipue Weilius eam genuinam esse defendat.[4] Utra opinio vera sit hoc loco examinare longum est. Sed licet iis adstipulemur qui utramque orationem a Demosthene abiudicant, hoc constare videtur eas haud multo post oratoris aetatem compositas esse.[5] Quis autem credat rhetorem ullum tum ausurum fuisse in orationem quam Demostheni tribui vellet repetitiones eiusmodi inserere, si talis ratio ab oratore aliena fuisset?

Praeterea exemplum repetitionum in Aeschinis operibus invenitur. Qui partem orationis de falsa legatione habitae paucis mutatis ex Andocidis de pace oratione sumere non dubitavit. Cf. Aesch. II 173—176 et Audoc. III 5—10.

Denique exempli gratia commemoro Xenophontis Hell. III 4, 6, 11—12, 15—25, IV 3, 3—9 cum Agesil. I 11, 13—16, 23—32, II 2—6, 9—16 fere congruere. Quam ob rem plurimi quidem

---

[1] Schäfer, l. c. p. 89, Blaſs, l. c. p. 352, Weil, les harangues de Dém. p. 436.

[2] l. c. p. 94.

[3] l. c. p. 337.

[4] l. c. p. 356.

[5] Cf. Blaſs, l. c. p. 346 et 354.

viri docti Agesilaum a Xenophonte abiudicant, sed haec opinio parum firmis causis nititur.[1]

Quae cum ita sint, repetitio ipsa omnem vituperationem effugit, sed quaerendum est num reliquis causis quibus Benseleri argumentatio nititur totum hoc caput (160—187) a Demosthene in orationem Timocrateam non insertum esse nobis persuadeatur.

Atque primum quidem ei displicet quod §§ 176—177, 182 narretur a Timocrate Audrotionem in conflandis vasis atque coronis adiutum esse, cum §§ 178—181, 183—186 de collega vel administro Audrotionis sermo non sit, sed omnia ad hunc unum transferantur neque § 201, ubi commemorentur scelera Timocratis, conflatorum vasorum et coronarum mentio fiat. Sed quod orator § 201 non dicit Timocratem in hoc munere rem suam auxisse, nihil aliud concludere licet nisi culpam eius hac in re tam parvam fuisse ut eam commemorare hoc loco operae pretium esse non videretur. Deinde consentaneum est Audrotionem, qui primas in illa re partes egit, magis in medium procedere quam collegam.

Offensionem vero praebent §§ 183—186, sed veram eius causam Benseler non intellexit. Apparet enim § 182 oratorem ea quae de conflatis coronis et vasis dicturus erat ad finem perduxisse. Nihilominus § 183 denuo de hac re loquitur. Accedit quod nescimus utrum de Androtione an de Timocrate sermo sit. Post praegressum enim in fine § 182 ὁ μὲν — ὁ δέ exspectamus ut orator de utro loquatur addat. Demosthenem igitur post repetitionem § 182 factam caput §§ 183—186 cum antecedentibus non satis cohaerens adiunxisse verisimile non est. Itaque ex oratione in Audrotionem habita id ab interpolatore in Timocrateam insertum esse conicio, cum videret et ipsum Demosthenem iam magnam partem indidem repetivisse.

Contra nullius momenti est quod § 197 sqq. orator commemorat vectigalia exacta neque affert se antea (§§ 160—175) de hac re locutum esse. Cur enim hoc addere debebat? Praeterea loci inter se sunt diversi. Nam postquam antea orator exposuit quomodo Timocrates se gessisset exactor vectigalium, § 197 explicat eum non misericordia adductum esse ut legem suam ferret.

[1] cf. quae Stahlius disputat Philog. Anzeiger XVI p. 41.

Neque assentior viro docto offendenti in § 160, ubi narratur Audrotionem infirmam valetudinem excusavisse et optavisse ut Timocrates sibi collega adiungeretur. Quod supervacaneum fuisse Benseler contendit, cum ultro Androtioni novem collegae dati essent et hic, si ita Timocratem administrum sibi postulavisset, indicaturus fuerit reliquos minus aptos esse ad munus secum obeundum. Sed quid habet miri illum, priusquam reliqui collegae creati essent, a civibus petivisse ut Timocrates in eorum numero esset?

Tum quod § 173 Androtionem iam plus triginta annos in rebus publicis operam collocavisse legimus, quamdiu Timocrates in re publica administranda iam versetur non comperimus, Benseler falsarium hoc de Timocrate, quod tempus nesciret, non addidisse suspicatur. Sed inde nihil aliud concluditur quam temporis non adeo multum praeterisse ex quo Timocrates ad rem publicam accesserit neque tantum ut quod orator miratur inde multo magis mirum esse videatur. Neque falsarium dubitaturum fuisse existimo numerum quemlibet de suo addere.

Porro Benseler vituperat § 187 *καὶ περὶ μὲν τούτου κατὰ σχολήν· ἃ δὲ Τιμοκράτει συνερεῖ πολλὰ ἔτι λέγειν πρὸς τούτοις ἔχων παύσομαι. οἶδα δ' ὅτι ... οὐκ ἕξει λέγειν.* Omnes viri docti hoc loco offenderunt et imprimis castigaverunt quod et *συνερεῖ* et *οὐχ ἕξει λέγειν* secundum praecepta grammatica referendum esset ad Audrotionem, quamquam illud *οὐχ ἕξει λέγειν* pertinere ad Timocratem appareret. Sed hac re nihil efficitur nisi locum esse corruptum. Neque inde quod locus est corruptus totum caput in quo invenitur adulterinum esse efficitur.

Denique, ut comprobet totum caput (§§ 110—186) Demosthenis non esse, Benseler testimonio Apsinis rhetoris utitur. Is enim haec dicit:[1] *ζητεῖται δὲ εἰ ἐπὶ τέλους τῇ ἀνακεφαλαιώσει δεῖ χρῆσθαι τῶν λόγων ἢ μίαν χώραν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ πολλαχοῦ ἡ χρῆσις αὐτῆς γίνεται. ἔνιοι μὲν οὖν ἐπὶ τέλους εἰσὶν αὐτῇ κεχρημένοι, ὡς καὶ ἐν τῇ κατηγορίᾳ τῇ Δημάδου ἐποίησεν ὁ Ὑπερείδης καὶ ὁ Δημοσθένης ἐν τῷ κατὰ Ἀριστοκράτους καὶ Τιμοκράτους.* Quibus ex verbis Benseler conicit, cum in Timocratea haec *ἀνακεφαλαίωσις* in §§ 108 et 109 inveniatur, totam partem quae

[1] Rhetores Graeci ed. Spengel I p. 384.

legitur §§ 110—186 Apsinis aetate, i. e. saeculo tertio post Christum natum, in oratione non fuisse et verba § 187 *οἶδα δ᾽ ὅτι ὡς μὲν οὐκ ἀσύμφορος κτλ.* coniuncta fuisse cum § 109. Sed cum in oratione Aristocratea *ἀνακεφαλαίωσις* (§§ 215—220) in ipso fine sit, equidem non intellego quo iure Apsines, si Benseleri sententiam probemus, scripserit Demosthenem in Timocratea summa orationis capita breviter in fine eius sive epilogo repetivisse. Tantum enim abest ut eiecta illa parte §§ 108—109 in extrema oratione sint ut quarta fere eius pars, in qua refutatio inest (§§ 187—203), et ipsa peroratio etiam sequatur. Quomodo vero ad hanc sententiam quadrat quod idem Apsines duobus locis [1] mentionem facit legis Locrorum (§ 139 sqq.) et hanc narrationem Demostheni tribuit. Neque enim mirum est quod Apsines neutro loco addit in qua oratione haec fabula scripta sit, cum idem p. 373 quattuor deinceps locos Demosthenicos commemoraverit [2] neque orationes appellaverit ubi invenirentur. Meo igitur iudicio Apsines aut in nomine orationis erravit aut falso §§ 204—208 *ἀνακεφαλαίωσιν* esse putavit aut in ipsa extrema oratione ante § 218 summa eius capita olim comprehensa erant quae pars postea interiit. Utique hoc constat, Apsinis testimonium nihil valere ad Benseleri sententiam firmandam.

Causis igitur a Benselero prolatis non cogimur ut §§ 110—157 a Demosthene composita aut §§ 160—182 ab eo ipso ex Androtionea repetita esse non posse censeamus.

Accedit quod ratio qua orationem iis quae leguntur §§ 110—159 auctam esse putat probabilis non est. Nam si, ut ille existimat, Apsines orationem breviorem in manibus habuit, amplius quingentis annis post Demosthenis aetatem haec pars ab interpolatore aliquo ex Euctemonis oratione inserta est. Sed quis hanc per tot annos servatam esse credat? Et quomodo ad hanc opinionem convenit quod idem Apsines §§ 139 sqq. diserte Demostheni tribuit?

Iam ad examinandam Schaeferi [3] sententiam transeamus, qui in iisdem fere rebus quibus Benseler offendens aliter de orationis

---

[1] p. 373 et 382.

[2] II 10. XXI 143. III 23. XXIV 139.

[3] l. c. p. 63.

condicione iudicat. Demosthenem enim eo quod legati solvissent coactum esse putat orationem iam compositam retractare et corrigere. Quo factum esse ut duae eius scriptiones exsisterent, altera longior minusque polita, altera brevior et perfecta, ex quibus orationem quam habemus sive a Diodoro sive ab alio consarcinatam esse. §§ 110—187 igitur priori scriptioni tribuit. Qui quod ad hanc opinionem comprobandam sententias in oratione iteratas affert, de hac re, cum nihil novi protulerit, ea quae supra contra Benselerum dixi repetere supersedeo. Ceterum non satis accurate explicat quomodo illae repetitiones ortae sint. Neque enim §§ 102—107 orta esse possunt e §§ 110—122, cum ex § 114 *καὶ τούτων ὀλίγῳ πρότερον ἠκούσατε τῶν νόμων* eluceat hanc posteriorem partem oratorem scripsisse post § 102 sqq.

Recte vero Schaefer partes in quibus hiatus non vitatus est priori scriptioni tribuit. Sed §§ 155—186 hiatu carent. Qua igitur re commotus est ut haec quoque priore tempore scripta esse putaret?

Omnino ea quae orator §§ 110—186 protulit Schaefero ad rerum statum legatorum solutione mutatum non satis apta videntur. Concedo, si legati legibus omnino satisfecissent, nonnulla non satis apta esse. Sed ne tum quidem offensioni esse potest quod orator §§ 160—186 Androtionem et Timocratem aggreditur, quoniam etiam sublata malae legis causa eius auctores non minus digni sunt qui graviter castigentur.

Neque minus postquam legati debitum pependerunt, §§ 155—159 commemorare oratori licebat Timocratem malis artibus legem suam tulisse.

Praeterea omnia quae leguntur §§ 139—154, sive legati pependerunt sive non pependerunt, pariter valent. An putas, cum illud fecissent, oratorem minus bene comparavisse rationem qua Locri quaque Athenienses leges ferre solerent (§§ 139—143) aut Timocratem, qui legem suam alius legis exemplo excusaturus esset, parum apte refellisse (§§ 144—154)? Immo licet legati nullum legis fructum percepturi fuerint, lex ipsa nihilominus rei publicae perniciosa erat. Neque aliter iudico de §§ 110—124, de quibus infra ubi contra Blassium disputabo accuratius agam.

Minus quadrare putarem §§ 125—138, si legati etiam praeter pecuniam solutam rei publicae non iam deberent. Sed antea a me

expositum est eos legibus non ab omni parte satisfecisse ideoque beneficiorum legis Timocrateae participes fieri posse. Itaque cum haec quoque pars suo loco sit, non magis §§ 110—187 ex oratione prorsus eximenda esse a Schaefero est demonstratum. Causis enim ab eo prolatis nihil aliud efficitur nisi partem hiatu non carentem in oratione polita locum non habuisse. Post Schaeferi quaestiones etiam Spengelius de hac oratione disputavit [1] et verba §§ 110—186 sine causa temptari orationemque qualem traditam habemus a Demosthene ipso perfectam et editam esse contendit. Sed praeterquam quod concursu vocalium non vitato impedimur quominus ei adstipulemur, commentatione procedente sententiam eius probabilem non esse apparebit.

Benseleri sententiam Dahmsius [2] ita comprobare studuit ut praeter causas ab illo prolatas alias afferret, quas iam breviter examinabimus.

Primum offendit in § 111 propter similitudinem quam habet cum § 197. Sed priore loco orator summae insolentiae esse dicit in multitudinem miseram summa severitate, in viros ditissimos maximeque nefarios clementia uti; § 197 autem non clementia Timocratem adductum esse demonstratur ut legem suam ferret, cum antea multitudinis miserae eum non miseruisset. Deinde Dahmsio quae §§ 112 et 102 orator dicit inter se contraria esse videntur. Cum enim beneficia legis Timocrateae ad omnes homines scelestos, fures, parentum contemptores, alios, pertinere orator § 102 ostendat, Dahmsius § 112 duo furum genera commemorari putat, quorum alteri, legatis illis, lex ita succurrat ut iudicium omnino effugiant, alteri, *τοῖς ἀγορανόμοις, τοῖς ἀστυνόμοις, τοῖς κατὰ δήμους δικασταῖς*, non sit praesidio. Qua de re sic scribit [3]: ‘At eum qui § 82 sqq. dupli multam a Timocrate sublatam esse contendit atque § 102 illius legem in furibus omnibus adhiberi posse dixit, eum putas subito sententiam mutasse et dupli poenam in minorum gentium furibus relictam, remissam depeculatoribus pronuntiasse?’ Sed si § 112 recte intellexisset, sic non iudicavisset. Refert enim utri

[1] Philologus XVII p. 673.

[2] Dahms, Studia Demosthenica. Progr. du collège royal français Berlin 1866.

[3] p. 28.

digniores fuerint quibus lege subveniretur. Neque quisquam negaverit *ἀγορανόμους* et qui cum iis nominantur non tantum in rem publicam deliquisse quantum legatos. Nihilominus Timocrates pro aedilibus qui in ius vocati et poena affecti erant legem non tulit, sed legatis, qui maximum damnum rei publicae intulerunt, lege subvenit. Nusquam igitur dictum est aediles beneficiorum huius legis participes non fieri, sed Timocrati crimini datur quod, quamquam iam saepe occasio oblata esset hominibus misericordia dignis succurrendi, his auxilio non venerit, sed gravissimo crimini obnoxios statim liberare studuerit.

Neque maioris momenti est quod Dahmsius addit: 'Accedit quod aliis locis publicanis misericordiam benevolentiamque iudicum studet concitare, non aedilibus neque nundinarum custodibus.' Nam quotiens publicanorum mentio fit orator non iudicum benevolentiam iis comparare studet, sed id agit ut ostendat legem esse improbandam, cum homines magis nefarios ea liberet, publicanos poena affici iubeat. Cf. § 60 *καὶ μὴν οὐδ' ἐκεῖνό γ' ἂν εἴποις, ὡς ὅσοις δεσμοῦ προστιμᾶται, τούτων μάλιστ' ἂν τὰ μέγιστ' ἀδικοῦσιν οἱ τελῶναι, ὥστε μόνοις αὐτοῖς μὴ μεταδοῦναι τοῦ νόμου. Πολὺ γὰρ δήπου μᾶλλον οἱ προδιδόντες τι τῶν κοινῶν, οἱ τοὺς γονέας κακοῦντες, οἱ μὴ καθαρὰς τὰς χεῖρας ἔχοντες εἰσιόντες εἰς τὴν ἀγορὰν ἀδικοῦσιν.* Aediles autem ceterosque consulto orator hoc loco commemoravit, *ἀνθρώπους πένητας καὶ ἰδιώτας καὶ πολλῶν ἀπείρους καὶ κληρωτὴν ἀρχὴν ἄρξαντας*, ut eos opponeret legatis, hominibus divitibus, a populo creatis quibus gravissima rei publicae negotia committerentur. Ceterum iam scholiasta codicum TCV intellexit oratorem secum non pugnare.[1]

Quem deinde Dahmsius affert locum, § 112 non satis congruentem cum § 60, cum antea de eo dictum sit, hoc loco de eo disputare supersedemus.

---

[1] Demosth. ed. Dindorf IX p. 775 *πῶς οὖν οἷόν τε τοῖς μὲν βοηθεῖν τοῖς δὲ οὐ βοηθεῖν αὐτόν . . . . ὅτι οὐ περὶ τοῦ δεσμοῦ διαλέγεται ἀλλὰ περὶ τοῦ πότεροι δικαιότεροί εἰσιν ἐκτιννύναι, οἱ πρέσβεις ἃ ὑφῄρηνται ἢ οἱ ἀστυνόμοι καὶ ἀγορανόμοι τὴν δεκαπλασίαν διότι ἔκλεψαν. οὐ περὶ τοῦ νόμου γὰρ διαλέγεται, ἀλλ' αὐτὸ καθ' ἑαυτὸ ἐξετάζει μόνον τὸ δίκαιον, τίνες δικαιότεροι καταβάλλειν εἰσίν, οἱ διὰ πενίαν κλέψαντες ἢ οἱ πρέσβεις αἱρεθέντες καὶ πλούσιοι ὄντες εἶτα ὑφελόμενοι.*

Tum §§ 123—124 Dahmsius potius locum communem de oratorum divitias captantium et plebem contemnentium superbia putat quam sententiam praebere ad Timocratem eiusque causam aptam. Sed ad oratoris propositum optime hic locus quadrat. Nam ex eorum qui leges rogant moribus ac vitae ratione aliqua ex parte intellegitur quales sint leges quas ferant quidque iis assequi studeant. Qua de causa in aliis[1] quoque orationibus in quibus legem aliquam impugnat Demosthenes in ipsos oratores qui eam rogaverunt invehitur. Concedendum quidem est, si rationem habeamus sententiarum cohaerentiae, hoc caput non suo loco positum esse, cum neque cum iis quae antecedunt neque cum iis quae sequuntur apte coniungi possit; sed inde non efficitur Demosthenem eius auctorem non esse.

Praeterea Dahmsius vituperat § 128, ubi orator narrat unum ex legatis, Glaucetem, bello Peloponnesiaco ad Lacedaemonios Deceleam transgressum, inde fines Atheniensium diripuisse. Qua in re iam scholiasta offendit, qui ad haec adnotavit: *δεῖ νοῆσαι τοῦτον πανυγεραίτατον, εἴ γε λέγει αὐτὸν γεγενῆσθαι ἐν τῷ τέλει τοῦ Πελοποννησιακοῦ πολέμου καὶ ἔτι ζῆν ἐν τοῖς Φιλιππικοῖς χρόνοις.* Sane etiamsi demum anno 406 Glaucetes ad Lacedaemonios transfugit sive ab iis captus est (cf. Schaefer I p. 329), adulescens viginti fere annorum, anno 353/2, quo habita est Timocratea, plus septuaginta annos natus erat. Sed licet Athenienses senes legatos mittere non consueverint, fieri aliquando ut senex plus septuaginta annorum mitteretur utique poterat. Neque talia ab interpolatoribus fingi solent. Atque haec res in ea qua legitur comprehensione maximam vim habet. Nam postquam narratum est quomodo Glaucetes hostibus decimam praedae accurate solvisset, multo efficacius ex opposito subiungitur idem deae praestare eum noluisse. Quare neque illius rei commemoratio sine sententiae damno huic loco eximi potest neque totum locum non esse Demosthenis causa satis certa efficitur.

---

[1] Cf. XXIII 146 *εἴ τις ὑμᾶς ἔροιτο τί πονηρότατον νομίζετε τῶν ἐν τῇ πόλει πάντων ἐθνῶν, οὔτε τοὺς γεωργοὺς οὔτε ἐμπόρους οὔτε τοὺς ἐκ τῶν ἀργυρείων οὔτε τῶν τοιούτων οὐδὲν ἂν εἴποιτε, ἀλλ᾽ εἰ τοὺς ἐπὶ μισθῷ λέγειν καὶ γράφειν εἰωθότας εἴποι τις, εὖ οἶδ᾽ ὅτι συμφήσαιτ᾽ ἂν ἅπαντες. μέχρι μὲν δὴ τούτου καλῶς ἐγνώκατε,* ibid. 211. XXII 3.

[2] Demosth. ed. Dindorf IX p. 783.

Neque multum valet quod § 130 legitur τῶν δεκατῶν τῶν τῆς θεοῦ, ubi non de ipsis decimis partibus, sed de iis in multam decemplicatis sermo est. Sed facillimum est de librarii socordia cogitare, qui pro verbis ἢ τῆς δεκαπλασίας τῶν δεκατῶν τῶν τῆς θεοῦ scripserit ἢ τῶν δεκατῶν κτλ. Nam quod Dahmsius existimat hunc errorem falsario tribuendum esse, non intellegitur cur hoc loco erraverit, cum antea § 111, quem locum eidem interpolatori Dahmsius tribuit, recte scripsisset ἐπ' ἀποστερήσει τῶν μὲν ὁσίων τῆς διπλασίας, τῶν ἱερῶν δὲ τῆς δεκαπλασίας.

Lenius ille iudicat de §§ 131—138. Scribit enim: 'Neque magis criminari volo eorum quae §§ 131—138 afferuntur exemplorum complura ad legem Timocrateam impugnandam accommodata non esse. Nam qui homines, quamquam et civitati multum profuerunt et magnam civium benevolentiam in se adsciverunt, tamen cum scelus aliquod commisisse viderentur, in vincula coniecti ibique per longum tempus commorati esse narrantur, ei non omnes ideo retinebantur quod aerario debebant, sed ne clam ex Attica aufugerent.' Sane fatendum est exempla illa ad causam quae agitur aptiora futura fuisse, si omnia ad eos pertinerent qui, quod rei publicae deberent, in vincula coniecti essent, sed nihilominus minime aliena sunt ab oratoris argumentatione. Hic enim demonstrat, cum antea iam multi iique meliores cives quam Androtio et collegae in carcerem gravioris alicuius criminis accusati coniecti sint, ne iudicio se subtraherent, aequum non esse Androtionem, si in iudicio damnatus sit, constituta hac poena liberari.

Severius Dahmsius existimat de parte quae est inde a §§ 139—144. Abiudicat enim hoc caput a Demosthene, quod generali quadam de oratorum libidine et arbitrio querela terminetur. Sed quid aptius erat quam in simillima causa omnem illam perniciosam in legibus ferendis oratorum licentiam commemorare et proposito Locrorum exemplo ostendere quantopere ea castiganda esset atque coërcenda? Praeterea Apsinem rhetorem hanc partem ipsi Demostheni tribuere supra vidimus.

Longius ille disputat de §§ 144—154. Demonstratur hoc loco nullius momenti esse quod Timocrates dicturus sit legem suam similem esse illi in qua scriptum sit οὐδὲ δήσω κτλ., cum haec verba referenda sint ad eos quos iudices nondum damnaverint.

Quod circuitu orator ostendit. Nisi enim haec verba ad indemnatos pertineant, non licere ait quemquam in vincula conicere praeter illos quos lex ipsa nominet [1]; cum autem iudices hanc poenam aliis quoque imponant et legibus quibusdam adscriptum sit *τὸν ἐνδειχθέντα ἢ ἀπαχθέντα δησάντων οἱ ἕνδεκα ἐν τῷ ξύλῳ*, sequi ut alios quoque in vincula dare liceat. Quae cum ita sint, apparere Timocratem iniuria legem illam afferre, ut se excuset. Quibus Dahmsius haec opponit: 'Quorsum spectat omnis haec demonstratio qua docetur iudicibus licere aliquem custodiae tradere, nisi ad opinionem contrariam refellendam? Adversarius enim fingitur qui iudices hac facultate carere contendat.' Sed ex iis quae modo exposui satis intellegi puto non contrariam illi opinionem Timocratem prolaturum, sed simili quodam lenitatis exemplo suam legem excusaturum esse, id quod apertissime verbis *ᾧ ἀκούω μέλλειν παραδείγματι χρῆσθαι τοῦτον καὶ φήσειν ἀκόλουθον αὐτῷ τεθεικέναι* indicatur.

Recte iudicat Dahmsius de § 175. Antea enim loquitur orator de Androtione et Timocrate. Itaque *τούτων* in verbis § 175 *δόξετ' ὀργιζόμενοι κατεγνωκέναι τὰ χρήματα τούτων* referendum est ad hos viros. Sed cum populus pecuniam non ab Androtione et Timocrate, sed a tribus illis legatis abiudicaverit, apparet hanc partem cum ea quae antecedit non satis cohaerere. Qua ex re quid sequatur postea longius explicabo. Hoc certe constat omnia quae inde a §§ 160—182 leguntur Demosthenis non esse hac quidem causa non effici.

Deinde cum Schaefero Dahmsius magnum discrimen esse putat inter §§ 119—186 et reliquas omnes orationis partes, cum hic imprimis contra Timocratem pugnetur neque Androtionis nisi breviter et obiter mentio fiat, illic omnia Androtionis plena sint. Schaeferum tamen non recte iudicavisse antea dictum est.

Denique Dahmsius praeceptis artis rhetoricae sententiam suam confirmare studet. Cum enim §§ 110—186 certae orationis parti attribui non possint, eas a Demosthene alienas declarat. 'Nam frustra, inquit, laborabant scholiastae cui orationis parti eas adscriberent, frustraque tu quoque in rhetorum libris circumspicias quod nomen ei tribuas.' Sed praecepta artis rhetoricae, quamquam scimus ea

---

[1] *πλὴν ἐάν τις ἐπὶ προδοσίᾳ τῆς πόλεως ἢ ἐπὶ καταλύσει τοῦ δήμου συνιὼν ἁλῷ ἢ τέλος πριάμενος ἢ ἐγγυησάμενος ἢ ἐκλέγων μὴ καταβάλλῃ.*

magni aestimata esse a veteribus, non tanti momenti sunt ut cogamur partem in cohaerentia sententiarum aptissimam ex oratione segregare, nisi praeceptis artis illius accuratissime respondeat. Nam cur magna ex parte non ad artis normam composita sit oratio etiam aliae causae cogitari possunt, praesertim cum alias quoque orationes, velut Midianam, habeamus in quibus dispositio ubique secundum artis leges instituta non magis appareat.

Quae cum ita sint, Dahmsii argumentatione Benseleri sententia non videtur firmata esse.

Iam ad Blaſsium nos convertamus, qui Schaeferi opinionem magis explicavit.

Atque primum quidem cum Schaefero hic putat Diodorum et Euctemonem quod voluissent assecutos esse, cum legati pro capta praeda pecuniam reddidissent. Qua de re quid iudicandum esset antea explanavi. Deinde nonnullos locos enumerat quos, antequam legati solvissent, scriptos esse censet. Distinguit autem duas scriptiones, quarum altera ante solutionem, altera post eam facta sit.

Ac prioris quidem scriptionis prooemium Blassius putat amplexum esse §§ 1—10 *λῦσαι δυναίμεθα* et tum secutum esse illud *βούλομαι δὴ μικρὰ διεξελθών* § 17; quod prooemium oratorem ita retractasse ut omissa parte quae est inde a § 8 *βουλοίμην δ᾽ ἂν ἐμέ τε τυχεῖν* — § 10 *λῦσαι δυναίμεθα* adderet § 10 *ἐξ ἀρχῆς οὖν* — § 16. Nam verba § 8 *βουλοίμην δ᾽ ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι τοῦτόν τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*, postquam legati praedae pretium solverint, ab oratore apte dici potuisse illi non videntur, quia hac solutione rei publicae et accusatoribus satisfactum esse existimat. Et profecto oratori aptum non fuisset pronuntiare *βουλοίμην δ᾽ ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι κτλ.*, si re vera quod vellet assecutus esset. Quod non factum esse antea demonstravi.

Quamquam igitur haec verba ob causam a Blaſsio prolatam vituperanda non sunt, tamen suspicionem movent, quod ad sententiarum conexum non conveniunt. Orator enim §§ 6—9 exponit qua re adductus sit ut Timocratis legem impugnaret. Narrat igitur, postquam ab Androtione impietatis postulatus et in summum periculum vocatus sit, se id egisse ut hunc ulcisceretur. Qui cum non solum rei publicae vectigalibus exactis vasibusque conflatis iniuriam intulisset, sed etiam pecuniam et sacram et publicam retinuisset neque reddidisset, se cum

Euctemone eum accusavisse ait, ut et rei publicae succurreret et ipse iniuriam acceptam ulcisceretur. Priusquam autem pergit explicare, cum iam in eo fuisset ut ipse propositum assequeretur, Timocratem legem suam tulisse et ita Androtionem periculo liberasse, dicit *βουλοίμην δ' ἂν . . . . ὧν ἄξιός ἐστιν*: 'velim et me assequi quod cupio et illum pati quod meret.' Sed talis enuntiati forma apta erat, donec orator actione illa in Androtionem instituta, de qua loquitur, ad id quod cupiebat pervenire poterat. Quod quominus fieri posset quoniam lege Timocratis impeditum erat, verba ut codicibus traduntur sententiarum cohaerentiae accommodata non sunt. Quae difficultas manet, etiamsi cum Blassio §§ 1—10 prooemium primae scriptionis effecisse putemus. Weilius igitur locum ita emendavit ut omnia apte inter se cohaereant pro *βουλοίμην* scribens *ἐβουλόμην*: 'vellem ego assecutus essem quod cupio et hic passus esset quod meret.' Infinitivos autem *τυχεῖν* et *παθεῖν* ad tempus praeteritum referri posse cognoscitur ex Aeschyli Choeph. 702. [1]

Neque magis sententia viri docti comprobatur iis quae § 9 leguntur *ὥστε τίθησι τουτονὶ τὸν νόμον, δι' οὗ τῶν ἱερῶν μὲν χρημάτων τοὺς θεοὺς τῶν ὁσίων δὲ τὴν πόλιν ἀποστερεῖ, ἄκυρα δὲ τὰ γνωσθέντα ὑπὸ τῆς βουλῆς καὶ τοῦ δικαστηρίου καθίστησιν.* Tempus enim praesens orator adhibet ad significandam universam legis vim ac sententiam. Etiamsi enim Timocratis lex civitati in praeda quam legati sibi vindicaverant, postquam eius pretium restitutum est, damno non fuisset, tamen non sequeretur eam rerum omnino quae diis et rei publicae deberentur detrimentum nullum afferre. Atque Timocrates legem suam eo consilio tulerat ut deos et rem publicam pecunia privaret ed iudiciorum potestatem deleret. Quod consilium utique permanebat, etsi in legatorum causa non iam omni ex parte valebat.

Deinde § 2 *τὴν ὑμετέραν ψῆφον . . . λύει καὶ ποιεῖ τοῦ μηδενὸς ἀξίαν ὁ τουτονὶ νόμος οὐχ ἵνα κοινῇ τι τὴν πόλιν ὠφελήσῃ... ἀλλ' ἵνα τὸν πολὺν χρόνον ὑμᾶς τινες ἐκκεκαρπωμένων . . . μηδ' ἃ κλέπτοντες ἐλήφθησαν φανερῶς καταθῶσιν* ex coniunctivo *καταθῶσιν* Blassius apparere putat hunc locum scriptum esse,

---

[1] . . . *ἂν ἤθελον γνωστὸς γενέσθαι καὶ ξενωθῆναι.*

priusquam legati solvissent. Quod ut comprobet, Viezeus[1] pro exemplo Demosth. XXII 11 *τοῦτον ἔχει τρόπον ὁ νόμος, ἵνα μηδὲ πεισθῆναι μηδ᾽ ἐξαπατηθῆναι γένοιτ᾽ ἐπὶ τῷ δήμῳ* affert. Opinatur autem uterque oratorem, si legatos iam solvisse significare voluisset, modum optativum adhibiturum fuisse. Verum satis constat coniunctivum in enuntiatis finalibus ubique locum habere. Praeterea illi ipsi revera huic rei nihil momenti tribuunt, quoniam hanc partem in altera scriptione retentam esse volunt.

Porro §§ 9—10 fere idem breviter narrari Blassius existimat quod §§ 10—17 uberius exponatur. Sed si orationis dispositionem propius inspicimus, in utraque parte diversas res ab oratore proferri intellegimus. Priore enim loco se Timocratem reum fecisse ostendit, quod eius lege occasio ulciscendi sibi erepta sit. Posteriore autem quomodo Timocrates legem suam tulerit persequitur.

Quae cum ita sint, Blassius iniuria prooemium pecunia a legatis soluta eo quo vult modo commutatum esse statuit. Praeterea facile demonstrari potest Blassii distributione rerum cohaerentiam valde obscurari. Nam si eius iudicium sequeremur, in prima scriptione de ipsa quae agitur re nihil commemoratum esset, ne nomina quidem legatorum, neque mentio fieret rogationis Euctemonis de qua sermo est §§ 13 — 14. Atqui hac mentione opus est ad intellegenda § 117 verba, quae et ipsa a Blassio priori scriptioni tribuuntur.

Neque quam Blassius statuit proemii retractatio omni offensione caret. § 6 enim orator se expositurum esse dicit cur, cum adhuc moderata vitae ratione usus sit, in causis publicis periclitetur. Itaque exspectamus ut se Timocratis lege impeditum esse profiteatur quominus Androtionem ulcisceretur, id quod § 9 legimus. At si de commutato prooemio Blassio assentimur, orator, priusquam nos satis docuit qua re commotus esset ut Timocratem in ius vocaret, ad causae narrationem transit.

Quae retractationis vestigia praeter prooemium Blassius invenisse sibi visus est haec sunt. Primum §§ 17—19 non satis convenire putat cum §§ 108—109. Sane oratorem in orationis initio dixisse se demonstraturum esse Timocratis rogationem pri-

---

[1] De Demosthenis in Androtionem et Timocratem orationibus. Diss. Halle 1885 p. 25.

mum contra leges latam, deinde legibus contrariam, denique rei publicae noxiam esse § 108 legimus, quamquam secundum et tertium § 19 *πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ᾽ ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει, εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς ὅτι ἂν βουλομένοις ὑμῖν ἀκούειν ᾖ* nominatim non commemoratur. Sed hoc ipsum opus non est, sed satis est oratori, quotiens ad novam partem transit, qua de re iam dicturus sit diserte pronuntiare. Cf. § 32 *ἀλλὰ καὶ κατ᾽ ἐκεῖνο, ὅτι πᾶσιν ἐναντίον εἰσενήνοχε τοῖς οὖσι νόμοις, αὐτίκα δὴ μάλ᾽ ἀκριβῶς μαθήσεσθε*, § 68 *ὡς τοίνυν οὐδ᾽ ἐπιτήδειον νόμον ὑμῖν οὐδὲ συμφέροντ᾽ εἰσενήνοχεν, τοῦτ᾽ ἤδη πειράσομαι νυνὶ δεικνύναι.*

Deinde Blassius §§ 110—154 propter §§ 121 et 131, postquam legati pro praeda pecuniam solverint, non iam apta fuisse contendit. Sed sive solverunt sive non solverunt, pariter § 121 oratori licebat dicere legatis insolentiam a dea ipsa iniectam esse, ut aut pecuniam decemplicem penderent aut in carcerem conicerentur. Aptissima vero erant haec verba, si legati ipsum praedae pretium in aerarium rettulerant; nam multam iis remitti accusatores neutiquam volebant.

Neque iure pro eiusdem rei testimonio § 131 affertur. Sane si demonstrari posset legatos facta solutione legibus omnino satisfecisse, concederem hunc locum minus aptum esse, sed cum aliter res se habeat et illi ex legibus multam adhuc debeant, recte orator adhortatur iudices ut secundum leges eos puniant.

His igitur locis Blassii sententia non comprobatur. Neque ullum caput ante solutionem factam compositum esse demonstrari potest. § 120 quidem verba coniciat aliquis propter *αὐτοὶ ἔχοντες* scripta esse, priusquam legati solvissent. Sed verba *καὶ ἀντὶ τοῦ ἀποδοῦναι αὐτοὶ ἔχοντες* mihi postea videntur addita esse. Nam non magis post *σεσυληκότες* ea addi utile est quam post *κεκλοφότες* et addita concinnam membrorum aequabilitatem turbant, cum quod iis respondeat post *κεκλοφότες* desideretur. Conicio igitur aliquem ad interpretandam vim perfecti *σεσυληκότες* in margine scripsisse *ἀντὶ τοῦ ἀποδοῦναι αὐτοὶ ἔχοντες* et haec addita coniunctione *καὶ* ipsius Demosthenis verbis inserta esse. Sed perfectum *σεσυληκότες* paulo aliter atque hic interpres voluit significat eos nunc quoque huic crimini obnoxios esse.

Quae sequuntur inde a §§ 155—187 item a Blassio priori scriptioni tribuuntur, quamquam ipse concedit nusquam apparere utrum legati solverint necne.

Haec quae contra Blassium dixi, si recte disputata sunt, elucet ne eius quidem sententiam stare posse.

Liceat mihi hoc loco breviter opinionem Nitschei [1] perstringere, qui § 157 *οὐ γὰρ ἁπλῶς κτλ.* — § 187 *οἶδα δ' ὅτι* falsario tribuit. Cur ita iudicet cognosci nequit. Verisimile autem est eum offendisse in plurali numero *οὐχ οὗτοι μόνον* § 157, ubi singularis desideratur, cum antea sermo sit de solo Timocrate. Quae offensio tollitur, si um Viezeo scribimus *οὗτος* pro *οὗτοι*. Neque causam esse cur totam partem a Demosthene alienam putemus disputatione mea satis effectum esse mihi videtur.

Iam Viezei sententiam examinemus.

Is quoque distinguit inter orationem compositam priusquam legati solverint et eius retractationem post hoc tempus comparatam. [2] De exordio autem sic existimat §§ 1—5, 6—8 *τοῦτόν τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν*, 10 *ἐξ ἀρχῆς οὖν ἐν βραχέσι* — 13 *ὀφείλειν τῇ πόλει*, 9 *τοῦ δὲ πράγματος* — 10 *δυναίμεθα* hoc ordine in priore scriptione prooemium effecisse, quibus ex particulis oratorem primam, alteram, tertiam, cum illud commutaret, retinuisse omissis verbis § 8 *βουλοίμην δ' ἂν . . . . ὧν ἄξιός ἐστιν,* addidisse § 14 *γράφονται* — § 16.

Quod ad causas attinet quibus commotus ita iudicat, de coniunctivo *καταθῶσιν* § 2 et de tempore praesenti § 9 adhibito antea satis dictum est. Deinde § 9 cum antecedentibus cohaerere negat sic scribens p. 26: 'Statim post hanc digressionem orator mediam in rei narrationem incidit his verbis: *τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου* sqq. Neque enim verbis quae antecedunt priorem partem narrationis, quae verbis *τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος* sqq. continuetur, contineri nobis persuadere possumus, quia verba quae sunt *ἦλθον ἐπ' αὐτὸν μετ' Εὐκτήμονος* non tantum

---

[1] Nitsche, de traiciendis partibus in Demosth. orationibus. Diss. Berlin 1863 thesis V.

[2] l. c. p. 29

ad primum Euctemonis et Diodori in Androtionem impetum spectant, sed cum ad universas quas illi Androtioni intenderunt actiones tum maxime ad novissimam quam in Timocratea oratione institui videmus. Quae illis verbis sententia eam ob rem subest, quia verba proxime insequentia quae sunt *βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι τοῦτον τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν* ad causam pertinent novissimam. Et tamen orator ita pergit: *τοῦ δὲ πράγματος οὐκέτ' ὄντος ἀμφισβητησίμου*, quae verba haberent quo referrentur, si illud *ἦλθον ἐπ' αὐτόν* de primo tantummodo Diodori in Androtionem impetu intellegeretur, quod propter verba quae sequuntur *βουλοίμην δ' ἂν ἐμέ τε τυχεῖν ὧν βούλομαι τοῦτόν τε παθεῖν ὧν ἄξιός ἐστιν* fieri nequit.' Recte quidem in iis quae leguntur §§ 8—9 difficultatem aliquam inesse intellexit, sed ratio qua eam tollere studuit probanda non est. Nam illud *βουλοίμην* — *ἄξιός ἐστιν* non magis convenit ad ea quae antecedunt quam ad ea quae sequuntur. Viezeus quidem verba *ἦλθον ἐπ' αὐτόν (Ἀνδροτίωνα) . . . ὧν ἐπεπόνθειν λαβεῖν* ad universas actiones ab Euctemone et Diodoro in Androtionem institutas et imprimis ad causam Timocrateam, qua item Androtio petebatur, spectare ideoque cum sequentibus cohaerere putat. Sed verbis *ἦλθον κτλ.* oratorem causam Timocrateam non significare elucet, cum expositurus sit quare ad eam impulsus sit. Explicationi igitur a Viezeo prolatae assentiri non possumus. Ceterum Weilii emendatione effici ut §§ 8—9 apte inter se coniuncta sint supra dictum est.

Porro offensioni Viezeo sunt verba § 14 *γράφονται τὸ ψήφισμα*. Scribit enim p. 27: 'Nam post verba quae sunt *ἔδωκε γνώμην Εὐκτήμων ὡς δυνατὸν δικαιοτάτην ὑμᾶς μὲν εἰσπράττειν τοὺς τριηράρχους, ἐκείνοις δ' εἶναι περὶ αὐτῶν εἰς τοὺς ἔχοντας ἀναφοράν. ἐὰν δ' ἀμφισβητῆταί τι, ποιεῖν διαδικασίαν, τὸν δὲ ἡττηθέντα τοῦτον*[1] *ὀφείλειν τῇ πόλει* exspectamus oratorem quid senatus, quid populus de Euctemonis sententia decreverit diserte dicturum esse. Nihil tale legimus, sed mira breviloquentia usus orator statim sic pergit: *γράφονται τὸ ψήφισμα*'. Itaque in priore

[1] Rescribendum videtur *τοῦτ' = ὃ ἂν ἀμφισβητῆται*. Nam parum apte dicitur *τοῦτον*, cum is qui causa ceciderit antea non commemoratus sit.

scriptione post verba ὀφείλειν τῇ πόλει ea quae leguntur §§ 9—10 λῦσαι δυναίμεθα fuisse contendit. Pro qua parte non iam apta in posteriore scriptione ait oratorem substituisse §§ 14—16 et incuria quadam inter verba ὀφείλειν τῇ πόλει et γράφονται aliquid omisisse, caput autem §§ 9—10 λῦσαι δυναίμεθα ab editore orationis nobis traditum esse, ne quid verborum Demosthenis interiret. Sed nullam esse causam cur §§ 9—10 λῦσαι δυναίμεθα prioris scriptionis esse putaremus aut alium locum iis tribueremus antea demonstratum est. Deinde etiamsi hanc partem cum Viezeo post § 13 ponamus, difficultas ab eo commemorata manet. Nam ne tum quidem orator diserte dicit quid senatus, quid populus de Euctemonis rogatione decreverit. De qua quid constitutum sit oratorem afferre sane exspectamus. Propterea autem quod de hac re non loquitur neglegentia eius vel lacuna statuenda non est, sed inquirendum aptene locum qualem traditum habemus interpretari possimus. Cohaerentiam vero sententiarum perfectam esse oratoremque vocabulo τὸ ψήφισμα breviter significare rogationem Euctemonis probatam esse iam diximus. Accedit quod, si Viezeo de priore scriptione, qua § 14 non continetur, assentiremur, verba § 117, quae eidem scriptioni tribuit, intellegere non possemus. Nam ut ea intellegantur, opus est antea narrari Euctemonem a legatis παρανόμων accusatum esse.

Quae deinde leguntur §§ 17—19 περὶ ἑκάστου διελόμενον λέγειν Viezeus neque orationi priori neque posteriori tribuit, sed in commentariis relicta et ab editore orationis nobis servata esse existimat. Ante verba autem § 19 πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ᾽ ἐρῶ aliquid quod partitioni §§ 108—109 prolatae responderet excidisse putat. Dicit enim p. 36: ʻfacere non possumus quin ante verba quae sunt πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον propositionem talem ad quam et verba quae sunt πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε sqq. apte adiungi et conclusio totius argumentationis recte revocari possint excidisse opinemur atque excidisse quidem editoris huius orationis quem saepius indicavimus culpa.ʼ Sed ea quae contra §§ 17—19 διελόμενον λέγειν attulit inania esse facile intellegemus. Atque primum quidem miratur quod orator non solum postquam leges secundum quas novae leges ferri debebant recitari iussit (§§ 24—26), sed etiam antea de

praeceptis earum disputat (§ 18). Sed consentaneum est hunc in partitione § 18 strictim indicare ea quae explicaturus est. Deinde Viezeus commemorat oratorem, quamquam § 19 dicat *νῦν δ' ἀνάγκη καθ' ἕκαστον χωρὶς περὶ ἑκάστου διελόμενον λέγειν*, neque de tempore vel promulgatione legum rogandarum separatim disputare neque de tertio loco (*ἐπὶ πᾶσι τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει*, scil. *ὁ νομοθέτης*) omnino verba facere. Concedendum quidem est de illis rebus separatim vel seorsum non agi, sed satis est eas promiscue tractari. Neque tertium locum (*ἐπὶ πᾶσι τὸν αὐτὸν νόμον τιθέναι κελεύει*) orator silentio praeterit, sed huc §§ 59 — 60 pertinent. Praeterea Viezeo duae argumentationis artes proponi videntur § 17 *βούλομαι δὴ μικρὰ διεξελθὼν περὶ τῶν κειμένων νόμων καθ' οὓς εἰσιν αἱ ταιαίδε γραφαὶ περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου λέγειν*, cum § 19 *πρῶτον μὲν οὖν ὅπερ ἠδίκησε πρῶτον, τοῦτ' ἐρῶ, ὡς παρὰ πάντας τοὺς νόμους ἐνομοθέτει, εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς* . . . plus duae partes indicentur. Verba autem *περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου* et *εἶτα τῶν ἄλλων ἑξῆς* inter se contraria non sunt, quoniam ea quoque quae de ipsa lege (*περὶ αὐτοῦ τοῦ νόμου*) dicturus est complures partes comprehendere possunt. Denique contra Blassium defendi nullam offensionem praebere quod cum iis quae §§ 108 — 109 leguntur partitio §§ 17 — 19 non congruat.

Quibus de causis iis quae Viezeus de §§ 17 — 19 disputavit non adstipulamur.

Eorum quae sequuntur (§§ 19 — 87) nihil Viezei suspicionem excitat, nisi quod orator *περὶ τῶν ὠνουμένων τὰ τέλη καὶ τῶν ἐγγυωμένων καὶ ἐκλεγόντων κτλ.*, i. e. de ultima legis Timocrateae parte, non loquitur, quamquam § 70 dixit *πολλαχόθεν μὲν οὖν ἄν τις ἔχοι τοῦτο διδάσκειν, μάλιστα δὲ τὸν νόμον αὐτὸν ὃν τέθεικε διεξιών. ἔστι γὰρ οὐ τὸ μὲν αὐτοῦ καλῶς κείμενον, τὸ δ' ἡμαρτημένον, ἀλλ' ὅλος ἐξ ἀρχῆς, ἀπὸ τῆς πρώτης συλλαβῆς μέχρι τῆς τελευταίας, ἐφ' ὑμῖν κεῖται.* Ceterum Viezeus negat diiudicari posse utrum hoc vitium neglegentiae oratoris an editoris librariorumve culpae tribuendum sit. Sed de vitio cogitare opus non est. Nam id quod a Viezeo desideratur paulo ante orator explicavit §§ 59 — 60. Itaque supervacaneum erat eandem rem paulo post iterum tractare.

Ad § 102 haec Viezeus animadvertit: 'Sermo hoc loco ita formatus est quasi quod altero loco positum est (*ἀλλὰ τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν*) id ea particula quae modo absolvitur sit expositum. Quod re vera non factum est. Nam illud *τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινά* ad §§ 88—89 refertur, qui locus ante priorem conclusionem § 90 traditur.' Neque minorem difficultatem ei praebet quod § 102 ea de quibus antea dictum est non aliter afferuntur atque id quod orator expositurus est. Has difficultates tollere studet inde a § 87 argumentationis capita ita traiciens ut ordo hic sit: § 87, 90, 102—107, 88—89, 91—101. Sed iniuria illud *τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινά* refert ad §§ 88—89. Quamquam enim § 88 legimus *ἀλλ' ἄδειαν πεποίηκε τοσαύτην ὅσην οἷόν τε γενέσθαι πλείστην*, tamen hoc loco legem orator non propterea vituperat quod omnibus qui rei publicae iniuriam inferant prosit, sed quod Timocrates omiserit neque poena affecerit eos qui vades omnino non darent. Quae pars cum iis quae antecedunt apte cohaeret. Refert enim, ut e dispositione praemissa cognoscitur, §§ 79—90 demonstrare legem parum perspicue conceptam esse, ut hominibus scelestis succurrat. Quo referendum est id quoque quod §§ 88—89 reprehenditur in illa mentionem non fieri eorum qui vades non dent. Itaque huic parti alius locus tribuendus non est.

Recte autem Viezeus § 102 oratorem non distinguere perspexit inter partes tractatas et tractandas. Iam Dobreus, quem Weilius in editione orationis secutus est, verba *ἀλλὰ καί* posuit ante *τοῖς κακούργοις καὶ τοῖς πατρολοίαις*. Apparet hanc coniecturam multo leniorem esse quam Viezei transpositiones. Verisimile enim est verba *ἀλλὰ καί* a librario primum omissa in margine addita et postea ab alio in scriptoris verba inserta esse, sed non apto loco. Initium autem § 102 *οὐ τοίνυν μόνον τὰ δικαστήρι' ἄκυρα ποιεῖ τῶν προστιμημάτων, τοῖς ἀδικοῦσι τὰ κοινὰ δίδωσιν ἄδειαν, τὰς ὑπὲρ τῆς πόλεως στρατείας λυμαίνεται, τὴν διοίκησιν καταλύει* spectat ad ea quae §§ 91—101 explanata sunt, ubi orator ostendit Timocratem eo quod potestatem iudicum imminuat et impunitatem praebeat iis qui *ἔχοντες τὰ θ' ἱερὰ καὶ τὰ ὅσια χρήματα* rei publicae damnum inferant prohibere quominus haec domi militiaeque recte administretur. Accedit quod sententiarum conexu vetamur cum Viezeo

§§ 91 — 101 post §§ 102 — 107 ponere. Nam iis quae leguntur §§ 102 — 107 Timocratis legem improbandam esse exponitur, quia omnibus qui carcere multati sint hanc poenam remittat. Quo modo Timocratem eversionem omnium rerum efficere apparet, de qua inde a § 91 demonstraturus est *ὅτι τοίνυν ὅλην συγχεῖ τὴν πολιτείαν καὶ καταλύει πάντα τὰ πράγμαθ᾽ ὁ νόμος καὶ πολλὰς φιλοτιμίας περιαιρεῖται τῆς πόλεως, καὶ τοῦτο ῥᾳδίως ὑμᾶς νομίζω μαθήσεσθαι.* Si vero Viezei transpositionibus assentiremur et §§ 102—107 ante §§ 91—101 locum tribueremus, orator ea quae § 91 se ostenturum esse commemorat magna ex parte iam superiore capite demonstravisset.

Ut ad reliquas Viezei offensiones transeamus, de parte orationis quae est inde a §§ 110—143 eandem sententiam habet quam Blassius. Pugnat autem secum p. 44 contendens eam in prima scriptione refutationis loco fuisse. Licet enim haec eleganti et polita dictione destituta fuerit, tamen cohaerentia sententiarum carere non poterat. Deinde § 126 *ἀλλὰ Μελάνωπος δεινὸν νὴ Δί᾽ ἐστὶν εἰ δεθήσεσθαι νῦν ἔμελλεν* Viezeus commemorat, ut Blassii sententiam veram esse ostendat. Quibus verbis prorsus nullum locum in oratione fuisse putat, postquam legati pecuniam aerario debitam persolverint. Sed quod iam saepius dixi mihi repetendum est, legatos non pecuniam omnino debitam, sed pretium tantum praedae pependisse. Tum agitur hoc loco utrum digni sint qui lege a poena carceris liberentur necne, quoniam orator refutaturus est Timocratem contra dicturum *ἀλλὰ νὴ Δί᾽ αἰσχρὸν ἴσως ἦν Ἀνδροτίωνα δεθῆναι ἢ Γλαυκέτην ἢ Μελάνωπον.* Qua in re diiudicanda nihil interest utrum legati solverint necne.

Argumentum eorum quae §§ 144 — 154 sequuntur Viezeo gravius videtur quam quod in oratione perfecta abesse potuerit; sed quia Demosthenes praevidere non potuerit Timocratem hoc ad se defendendum prolaturum esse, illum post causam peractam censet hanc partem Timocratis orationis ratione habita scripsisse, ut postea orationi insereret, sed nondum perpolivisse. At quis nescit veteres oratores in elaboranda refutatione summam operam consumpsisse? Praeterea nescimus num Timocrates talia revera dixerit. Sed sive dixit sive non dixit, eum ita se defensurum esse utique Demosthenes suspicari poterat. Ceterum

assentior Viezeo non verisimile esse Demosthenem retractatae orationi hanc partem non additurum fuisse.

Pergimus ad §§ 155—186, quae p. 43 posteriori scriptioni tribuit et inter §§ 214 et 215 ponit scribens: 'Illud autem Blassio concedo non apte verba § 197 ad § 162 revocari. Sed quid si, postquam § 197 exactionem illam pecuniarum tetigerit, postea eam rem explicatius et uberius exposuisse oratorem suspicamur? Qua ratione eo deducimur ut totam illam partem a § 155—186 extremae orationis parti vindicemus.' Sed haec causa caduca est. Nam, ut supra diximus, §§ 197—199, id quod § 162 sqq. expositum est cohaerentia sententiarum tam diversa repetitur ut offensionem non praebeat. Tum Viezeus, ne in repetitione a se vituperata offendamus, §§ 155—186 ita traiciens ut §§ 197—199 iis antecedant non sibi constat. Nam orator, priusquam ostendit quomodo Timocrates et Androtio in re publica administranda se gesserint, dicit § 159 *λέξω δ' οὐδὲν ὧν ἀκηκόαθ' ὑμεῖς, εἰ μή τινες ἄρ' ἐπὶ τοῖς Εὐκτήμονι γιγνομένοις ἀγῶσι παρῆσαν.* Quae verba apta non sunt, si cum Viezeo ea quae legimus §§ 155—186 post § 214 et hanc ob causam post §§ 197—199 ponenda esse existimamus. Neque enim verisimile est oratorem pronuntiaturum fuisse *λέξω δ' οὐδὲν κτλ.*, si in ipsa oratione Timocratea eandem rem antea protulisset. Neque recte Viezeus § 49 *ἀλλὰ γὰρ αὐτίκα ἐρῶ περὶ τούτων* spectare putat ad § 160. Nam § 49 orator dicit se postea demonstraturum esse Timocratem non inscitia, sed consulto in rem publicam peccavisse et propterea venia non dignum esse. Qua de re non est sermo § 160 sqq., sed § 110 sqq.

Quae cum ita sint, Viezei disputatione quae in Timocratea discrepantia sunt atque incomposita mihi non videntur in suum ordinem restitui.

Postremo Weilii sententiam examinemus.[1]

Qui scriptionem ultimam vel orationem plane perfectam has partes amplecti contendit: §§ 1—109, 155—182, 187—218, et conexum sententiarum, quam § 187 turbatum esse supra commemoravimus, coniectura restituere studuit. Deinde caput 183—186

---

[1] L. c. p. 55 sqq.

ab interpolatore insertum esse censet et ea quae leguntur §§ 110—154 priori scriptioni tribuit. Quam partem propterea ab oratore ad unguem non exactam esse existimat quod eam in ultimam scriptionem recipere noluerit. Quis orationem quae nobis tradita est ediderit Weilius non dicit.

Quam opinionem omni ex parte probabilem non esse iam elucebit.

Primum igitur Weilio non satis convenire videtur, postquam legati solverint, postulari (125—138) ut pro debitoribus rei publicae habeantur. Sed huic causae non multum ponderis tribuendum esse Weilius ipse intellegit, concedens eos solum praedae pretium aerario reddidisse.[1] Tum orator, etiamsi § 131 legimus *μὴ τοίνυν αὐτοὶ διδάσκετε, ἀλλὰ τιμωρεῖσθε. καὶ μὴ ἐᾶτ᾽ ἀγανακτεῖν, εἰ δεθήσονται ἔχοντες τὰ ὑμέτερα, ἀλλ᾽ ἄγετ᾽ αὐτοὺς ὑπὸ τοὺς νόμους*, toto capite (125—138) efficere non vult legatos in vincula coniciendos esse, sed refutare illud *ἀλλὰ νὴ Δί᾽ αἰσχρὸν ἴσως ἦν Ἀνδροτίωνα δεθῆναι ἢ Γλαυκέτην ἢ Μελάνωπον.* Quam ob rem eos non dignos esse esse demonstrat qui lege carceris poena liberentur, cum neque ipsi innocentes sint et multi alii iique meliores cives quam Androtio in vincula dati sint, ne iudicio se subtraherent. Neque magis ex eo quod orator § 189 se accuratius exponere velle negat legatos secundum leges pecuniam non solvisse, cum iudices de hac re in suffragium ituri non sint, Weilio colligere licet partem quoque quae est inde a §§ 125—138 a proposito abhorrere. Nam sive illi legibus omnino satisfecerant sive hoc non fecerant, lex pariter improbanda erat neque Timocratis culpa mutabatur. Si vero Timocrati contigisset ut demonstraret Androtionem collegasque eius optime de re publica meritos neque indignos esse quibus poena carceris remitteretur, et lex valde excusata et auctoris culpa imminuta esset. Cum autem sciamus veteres oratores quaecunque reum ad se defendendum prolaturum esse suspicari possent

[1] Cf. p. 58 Il est vrai que le payement ne répondait pas à la rigueur des lois: Androtion et ses deux collègues s'étaient contentés de restituer les valeurs détenues par eux sans acquitter les amendes. On peut donc dire et l'on a dit en effet qu'ils n'étaient pas en règle et que ce morceau était encore de mise.

refutare studuisse, mihi non persuadetur Demosthenem hanc refutationem in ultimam scriptionem recipere noluisse.

Eodem modo quo de iis quae orator §§ 125—138 exponit Weilius de partibus antecedentibus (110—124) et sequentibus (139—154) iudicat. Sed cum ad sententiam comprobandam nihil aliud afferat nisi ea quae §§ 110—154 legimus concursu vocalium non vitato a reliqua orationis parte discrepare, ei non assentior. Nam inde quod ibi ab oratore hiatus admissi sunt elucet in scriptione ultima hoc caput non fuisse, sed non efficitur oratorem id ex illa excludere voluisse.

Quod ad ea attinet quae praeterea Weilius posuit, recte quidem §§ 183—186 a Demosthene abiudicat, ut antea demonstratum est, § 175 autem suo loco non esse, id quod Dahmsius primus animadvertit, non intellexit. Nam *τούτων* in verbis *κατεγνωκέναι τὰ χρήματα τούτων* referri non potest nisi ad legatos, quamquam antea sermo fuit de Androtione et Timocrate. Praeterea orator in verbis *καὶ μεμνημένους ὧν ἂν ἕκαστος ἁμάρτῃ* pronomine *ἕκαστος* utitur, quod pronomen de duobus non dicitur. In extrema quidem particula *ἀλλὰ μισεῖν καὶ μηδ᾽ ἀνέχεσθαι φωνὴν μήτε τούτου μήτ᾽ ἐκείνου τοιαῦτα πεπολιτευμένων* illud *τούτου* et *ἐκείνου* ad Androtionem et Timocratem spectat, sed hac ipsa re demonstratur haec superioribus praeter rerum cohaerentiam adnexa esse. Quod a Demosthene ipso factum esse non posse satis constat. Conicio igitur interpolatorem quendam hanc particulam de suo addidisse. Neque quicquam aliud ei in causa videtur fuisse quam quod orator, postquam §§ 172—174 ostendit non rei publicae causa Androtionem et Timocratem vectigalia exegisse, non simili conclusione utitur atque §§ 171 et 182, sed statim ad alia transit.

Denique verba § 187 a rerum contextu discrepantia Weilius sic emendari putavit[1]: *καὶ περὶ μὲν τούτου ⟨τοῦ ἐσκεμμένου⟩ κατὰ σχολὴν ἃ δὴ Τιμοκράτης νῦν ἐρεῖ πολλὰ ἔτι λέγειν πρὸς τούτοις ἔχων παύσομαι.* Negari non potest hac emendatione effici ut illud *οὐχ ἕξει λέγειν* non iam ad Androtionem, sed ad Timocratem pertineat. Nihilominus autem haec coniectura improbanda est, quoniam quod antea orator dixit Weilius non respexit. Nam

---

[1] Cf. l. c. p. 152 et § 158 *τοιούτους λόγους σχολὴν ἄγοντα ἐσκέφθαι.*

§ 158 συμπαρέσεσθαι γὰρ Ἀνδροτίωνα ἑαυτῷ et § 159 καὶ δὴ τὰ καὶ τεθαύμακα τὴν ἀναισχυντίαν τὴν τούτου τε κἀκείνου, τοῦ μὲν εἰ καλεῖ, τοῦ δ' εἰ πάρεισι καὶ συναπολογήσεται orator expresse commemorat Androtionem ipsum quae meditatus sit pro Timocrate dicturum esse. Weilii autem emendatione res ita fingitur quasi Timocrates ea prolaturus sit quae Androtio sibi excogitaverit. Ceterum vel ex § 66 οὐθ' ὡς δι' ἀπειρίαν ἰδιώτην ὄντα αὐτὸν τοῦτ' ἔλαθεν δύναιτ' ἂν πεῖσαι. πάλαι γὰρ μισθοῦ καὶ γράφων καὶ νόμους εἰσφέρων ὦπται intellegitur illi λογογράφον opus non fuisse.

Neque plus ponderis Spengelii emendationi tribuendum est, qui pro ἃ δέ scribit εἰ δή. Nam cum is qui συνερεῖ ei sit Androtio, facere non potest quin eum qui οὐχ ἕξει λέγειν eundem esse putet, quamquam is alius esse non potest nisi Timocrates.

Omnis vero difficultas mihi tolli videtur, si scribimus καὶ πέρὶ μὲν τούτου κατὰ σχολὴν ἃ δὴ Τιμοκράτης νῦν ἐρεῖ, ⟨περὶ τούτων⟩ πολλὰ λέγειν ἔτι πρὸς τούτοις ἔχων παύσομαι. Quae verba sic interpretor: De hac re per otium (i. e. ut tantum temporis quantum libeat impensurus sit) quae Timocrates nunc dicturus est, de his quamquam multa praeterea proferre possum, desinam.

Itaque cum satis apparere videatur ne Weilium quidem de Timocratea ab omni parte recte iudicavisse, restat ut breviter comprehendam quae mihi de ea videantur.

Ex iis igitur quae de aliorum sententiis adhuc disputavi elucet §§ 1—109 et 187—218 omni offensione carere, §§ 110—186 autem eiusmodi non esse ut, cum reliqua facta solutione composita sint, haec antea composita esse putandum sit; quin etiam in promptu est ea quae §§ 155—186 leguntur exceptis partibus quas interpolatori tribuimus non solum eiusdem scriptionis esse cuius §§ 1—109, 187—218, sed etiam emendatione a me commemorata cum § 187 apte cohaerere.

Porro §§ 110—154 propter hiatum ibi admissum priori atque minus expolitae scriptioni tribuenda sunt quam reliqua orationis pars. Neque dubitarem contendere ea quae legimus §§ 110—154 propterea extremam manum experta non esse quod orator hanc partem in orationem elaboratam recipere noluisset, si quis demonstrasset eam ad cohaerentiam sententiarum non convenire. Tantum

autem abest ut hoc adhuc effectum sit ut ostendi possit singulas particulas quas habemus §§ 110—154 ad vim orationis augendam aptissimas esse.

Atque primum quidem §§ 110—121 mihi videntur gravitatem orationis augere. Antea enim demonstratur Timocratis legem non legitimo modo datam, legibus contrariam, rei publicae perniciosam esse. Iam vero exponitur auctorem eius eo magis vituperandum esse quod talem legem consulto dederit neque hominum misericordia revera dignorum eum miseruerit, sed scelestorum. Praeterea eum lege sua ipsius Solonis, clarissimi viri, leges mutavisse neque in tempus futurum tantum sed etiam in praeteritum. Accedere quod ita egerit nulla alia causa commotus quam ut furibus et templorum direptoribus prodesset. Nam legatos pro quibus legem dederit et deam et rem publicam pecunia privavisse, neque dubium esse quin a dea ipsa haec insolentia iis iniecta sit, ut gravissima poena afficerentur. Apertum est necessaria quidem haec non esse, sed tantum conferre ad iudices movendos ut ea haud libenter desideremus.

Idem iudicium de § 122 facio ubi ex eo quod Timocrates legatos poena carceris lege sua liberet, publicanos multo minus nocentes ea affici iubeat concluditur eum pecunia ab illis accepta ad eam ferendam adductum esse. Quis enim credat oratorem in eiusmodi causa argumentationem omissurum fuisse qua comprobaretur reum pecunia corruptum legem tulisse?

Neque §§ 123—124 eius modi sunt ut oratorem ea abiecisse putem. Immo ad conciliandos iudicum animos maxime opportunum erat laudibus efferre quantopere oratoribus scelestos adiuvantibus populumque contemnentibus magnitudine animi ipsi praestarent.

Deinde contra Weilium demonstravi §§ 125—138 maxime idonea esse quibus oratio expleretur.

Quid porro aptius erat quam in actione *παρανόμων* oratorem Atheniensibus, apud quos oratorum arbitrio plerumque leges ferebantur et tollebantur, Locros exemplum proponere, ubi intra plus ducentos annos una lex data erat (§§ 139—144).

Denique ea quae legimus §§ 144—154, Timocrati non licere illa lege *οὐδὲ δήσω κτλ.* exemplo uti, nihil continent quod a rerum

conexu alienum sit, sed multum valent ad iudices a reo abalienandos artemque oratoris illustrandam. Nam Timocrati summae utilitati fuisset, si lege illa suam excusare potuisset.

Itaque cum omnia quae §§ 110—154 legimus magnam vim habeant ad vim argumentationis augendam animosque iudicum movendos, mihi non persuadetur oratorem ea ex ultima scriptione excludere voluisse et hac de causa non perpolivisse, contra verisimillimum est eum hanc partem ad unguem exacturum et in orationem elaboratam recepturum fuisse, nisi aliqua re impeditus esset quominus hoc faceret. Sed cum ex dispositione in huius disputationis initio proposita cognoscatur singulas particulas quae continentur §§ 110—154 parum inter se conexas esse, satis apparet oratorem eas noluisse eodem ordine quo nobis traditae sunt in scriptionem extremam inserere. Immo aliam alio loco ad ea quae iam perpolita erant adiuncturus fuisse mihi videtur prout ad sententiarum conexum accommodatae essent. Quam opinionem probabilissimam esse manifestum erit, si explicaverimus ubi singula capita ponenda sint.

Quae igitur legimus §§ 110—121 ad ea quae antecedunt aptissime se applicare antea ostendimus.

Iis autem quae orator § 122 dicit alius locus tribuendus est. Cum enim §§ 195—199 Demosthenes accuratius expositurus sit qua re commotus Timocrates legem suam tulerit [1] hanc particulam convenienter § 122 sequitur, ubi eum pecunia ad illam adductum esse comperimus. Quae sequuntur §§ 123—124 post §§ 190—193 collocanda esse existimo. Nam hac parte orator refellit Timocratem, qui summam iniuriam sibi illatum iri dicturus sit, si poena afficiatur, quod legem humanissimam pro omnibus civibus tulerit. Cui refutationi commode adiungebatur ipsos iudices ea re non mites se praebere quod leges civitatis solverent et, si hoc facere dedignarentur, magnitudine animi multum praestare oratoribus qui poenam legibus constitutam ab improbis averterent, populum conculcarent.

---

[1] *εἰδέναι χρὴ σαφῶς φενακιζομένους καὶ λογίζεσθαι πρὸς ὑμᾶς αὐτοὺς ἐκ τίνος ποτ᾽ ἐπῆλθε τούτῳ τοιαῦτα νομοθετεῖν.*

Deinde eae partes quibus aliquid quod orator Timocratem ad se defendendum oppositurum esse suspicatur refutatur orationis refutationi, quam inde a § 187 initium capere ex dispositione apparet, aptissime attribuuntur. Itaque §§ 125—138 et 144—154 ante § 194 collocamus ita ut §§ 123—124, quae post § 193 posuimus, iis antecedant.

Neque offensionem praebet, si recte disputavimus, quod orator bis et §§ 160—174, 176—182 et §§ 125—126 *εἰς τὸ δεσμωτήριον* de rebus ab Androtione gestis egit. Nam priore loco sermo est de iis quae cum Timocrate Androtio commisit, posteriore autem de solo Androtione, de patre eius, de vitiis eius adulescentiae orator loquitur.

Neque aptus deest locus ubi comparatio inter Locros et Athenienses facta (139—143) collocetur, qui est post § 211. Ibi enim ostenditur summae gloriae Atheniensibus esse quod legibus eorum aliae civitates pro exemplo utantur, civiumque esse videre ne haec gloria sibi adimatur. Quibus convenienter adduntur ea quae legimus §§ 139—143. Nam quo meliores Atheniensium leges sunt, eo magis Locrorum exemplum sequi debent, apud quos lex nisi cum vitae periculo tolli non potest.

Neque igitur est dubium quin eorum quae §§ 110—154 eleganti dictione carentia parumque inter se conexa legimus singulae partes capitibus perpolitis ita interponi possint, ut multum valeant ad oratoris sententiam confirmandam.

Porro § 155 cum §§ 110—121 apte coniungitur. Hic enim, ut iam dictum est, multa enumerantur quibus Timocratis culpa augeatur, eodemque pertinet § 155, ubi explicatur reum eo magis puniendum esse quod etiam cum arte quadam et sollertia rei publicae nocuerit.

Fortasse autem aliquis vituperaverit, quod inter rerum repetitionem et congregationem §§ 108—109 factam et refutationem § 187 incipientem oratorem alia inseruisse (§§ 155—174, 176—182), alia inserturum fuisse (§§ 110—122) contendo.

Sed contextum rerum hoc modo detrimentum non capere ex iis quae attuli cognoscitur. Neque praeceptis artis rhetoricae collocatio eius modi contraria est. Nam repititionem vel *ἀνακεφαλαί-*

ωσιν certum locum non habere colligitur ex Apsinis p. 385 ζητεῖται δὲ εἰ ἐπὶ τέλους τῇ ἀνακεφαλειώσει δεῖ χρῆσθαι τῶν λόγων ἢ μίαν χώραν οὐκ ἔχει, ἀλλὰ πολλαχοῦ ἡ χρῆσις αὐτῆς γίνεται. ἔνιοι μὲν οὖν ἐπὶ τέλους εἰσὶν αὐτῇ κεχρημένοι κτλ. Itaque mirum non est quod orator, postquam gravissimam argumentationis partem ad finem perduxit et capita eius breviter repetivit, priusquam ad refutationem transit, alia affert quibus rei culpam magis illustret (110 — 121, 155 — 159) et egressionem de rebus ab Androtione et Timocrate gestis facit (160 — 174, 176 — 186).[1]

Iam si summam facimus omnium quae adhuc disputata sunt, oratio qualem habemus non a Demosthene ipso, sed ab alio edita est. Quem post Demosthenis mortem in schedis ab eo relictis praeter orationis maximam partem (1—109, 155—174, 176—186, 187 — 218) perpolitam et convenienter compositam nonnulla (110 — 154) minus perpolita invenisse conicio, quae quominus ad unguem exigeret et suo quicque loco collocaret orator impeditus esset. Ea igitur simul cum reliquis edita sunt. Neque tamen editor singulas partes ab oratore nondum perfectas ita posuit ut hunc eas dispositurum fuisse verisimile est, sed omnes rerum cohaerentiae ratione non habita post repetitionem §§ 108 — 109 factam inseruit. Eundem vel interpolatorem aliquem posterioris aetatis post verba § 174, cum ei apta conclusione carere viderentur, de suo § 175 et post § 182 partem ex Androtionea sumptam (183—186) addidisse existimo, cum ex hac oratione iam magnum caput ab oratore repetitum videret.

Nisi igitur Demosthenes morte impeditus esset quominus ea quae leguntur §§ 110 — 154 perpoliret et singula capita suo loco collocaret, ordinem partium hunc futurum esse contendo:

---

[1] Volkmann, Die Rhetorik der Griechen und Römer p. 266: In der Rede des Demosthenes de falsa leg. findet sich eine ἀνακ. in der Mitte. Aehnlich im Panathenaicus des Aristides p. 126. Ferner Aesch. Tim. 116 am Schlufs der eigentlichen Beweisführung p. 165. Dies ist also die παρέκβασις, auch ἐκδρομή genannt, lateinisch egressio oder excessus. Man kann sie jedoch, wie schon Cicero lehrte, nicht als besonderen Teil der Rede aufstellen, da sie sich in der ganzen Rede überall anbringen läfst. Denn sie ist die aufser der Reihe gelegene, abschweifende Behandlung einer Sache, die für den vorliegenden Fall von Nutzen ist.

1—109, 110—121, 155—174, 176—182, 187—193, 123—124, 125—138, 144—154, 194—199, 122, 200—211, 139—143, 212—218.

Qua ex re non efficitur ne Diodoro quidem a Demosthene orationem quam hic pro eo scribendam susceperat traditam esse. Nam cum compertum habeamus orationes in iudicio habitas plerumque retractatas et elaboratas esse, priusquam ederentur, eo quod negamus Timocrateam Demosthenem edidisse non contendimus ne Diodoro quidem eum orationem quam in iudicio haberet composuisse et tradidisse.

THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA

QUAE INSCRIPTA EST

DE DEMOSTHENIS TIMOCRATEA

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE XVI MENSIS IULII A. MDCCCLXXXVIII

HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

ANTONIUS KREUSER

COLONIENSIS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

FERDINANDUS DÜBEL, CAND. PHIL.
IOSEPHUS FRANKE, CAND. PHIL.
CAROLUS GIESEN, CAND. PHIL.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA COPPENRATHIANA.

MDCCCLXXXVIII.

THESES.

1. Demosth. XXIV 12 transpositis verbis *τοῦτον τὸν τρόπον πραχθέντων* sic legendum esse conicio: ⟨*τῶν τε*⟩ *τοῦτον τὸν τρόπον πραχθέντων ὅτε ἀνέμνησεν ὑμᾶς, τοὺς νόμους ἀνέγνω καθ' οὓς τῆς πόλεως γίγνεται τὰ χρήματα.*

2. Ibid. § 83 scribendum est *ὥστ' ἐκ τούτων* ⟨*ἂν*⟩ *ἦν ἀνάγκη.*

3. Ibid. § 106 reponendum est *ὁ μέν γε καὶ τοὺς ὄντας* ⟨*κακούργους*⟩ *βελτίους ποιεῖ.*

4. Ibid. § 167 sic emendandum est: *οἱ δὲ τοὐναντίον* ⟨*τούτοις*⟩ *εἰς τὰ σώμαθ' ὥσπερ ἀνδραπόδοις*, ita ut additum *τούτοις* ad praegressum *ἐλευθέροις* respiciat.

5. Soph. Trach. post v. 31 lacuna statuenda videtur.

6. Ibid. v. 327 pro *τύχη* scribendum est *σιγή*.

VITA.

Natus sum Antonius Guilelmus Kreuser Coloniae Agrippinae a. d. IX Kal. Nov. a. h. s. LXII patre Ioanne, matre Iosepha e gente Dünebacken, quos iam diu morte mihi ereptos esse valde lugeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per sex annos in patria gymnasium frequentavi. Maturitatis quod vocant testimonio instructus mensi Aprili a. h. s. LXXXI academiam regiam Monasteriensem adii, ubi per quinquies senos menses theologiae studiosus docentes audivi VV. DD. Bautz, Bisping p. m., Fechtrup, Hagemann, Hartmann, Nordhoff, B. Schaefer, Schwane. Tum studiis philologicis addictus per septies senos menses scholis interfui VV. DD. Storck, Langen, Stahl, Niehues, Wüllner, Jostes. Seminarii regii philologici, cui praesunt Langen et Stahl, per ter senos menses sodalis ordinarius fui. Praeterea Storck ad exercitationes germanicas me admisit. Omnibus qui me docuerunt, imprimis VV. DD. Stahl, Langen, Storck, qui optime de me meriti sunt, gratias ago quas debeo maximas.